

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Kilian Rudrauf Christoph Ludwig Schwarzenau

**O Christos O Pathn, Thanattheis, Zopoitheis, kai Poreutheis. Sive Disputatio  
Theologica Inauguralis Ad Oraculum I. Petr. III. 18. 19.**

Giessae Hassorum: Müllerus, 1685

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn787615390>

Druck Freier  Zugang





106.

Fa-1092(106.)





XXV.

Ο ΧΡΙΣΤΟΣ Ο ΠΑΘΩΝ,  
ΘΑΝΑΤΩΘΕΙΣ, ΖΩΟΠΟΙΗΘΕΙΣ  
καὶ ΠΟΡΕΥΘΕΙΣ.

Sive  
DISPUTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS

Ad

Oraculum I. Petr. III. 18. 19.

Quam

MODERATORE CHRISTO,  
Indulgu

Plurimum Vener. Theol. Facultatis,

Sub PRÆSIDIO

DN. KILIANI RUDRAUFFII,

SS. Theol. Doctoris, ejusdemque Professoris longè  
celeberrimi, Domini Patroni, Cognati & in CHRISTO  
Parentis sui quāvis pietate submissè  
colendi,

Pro supremis in SS. Theol. Doctoratus Honoribus & Privilegiis  
solemniter obtainendis,

Excellentissimis DNN. PROFESSORIBUS  
examinandam exhibet

M. CHRISTOPH. LUDOV. SCHWARZENAW /

p. t. Voelensis Ecclesiae Pastor ac per Ditionem Itera-  
nam Metropolitanus

Ad diem 6. Aprilis Anno M DC LXXXV.

---

GIESSÆ HASSORUM,

Typis HENNINGI MÜLLERI.

36.

35.

34.

33.

SUMMÆ  
(licet à Filiis suis justificatæ)  
HYPOSTATICÆ SAPIENTIÆ  
JESU CHRISTO  
DEO ac REDEMATORI SUO SUPER OMNIA  
BENEDICTO.

Perq; EAM

Felicissimè

REGNANTI  
SERENISSIMÆ ac CELSISSIMÆ  
PRINCIPI & DOMINÆ

DN. ELISABETHÆ  
DOROTHEÆ,

HASSIÆ LANDGRAVIÆ, PRINCIPI  
HERSFELDIÆ, NATÆ DUCISSÆ SAXONIÆ, JU-  
LIÆ, CLIVIÆ & MONTIUM &c. COMITISSÆ IN CATTI-  
MELIBOCO, DECIA, ZIEGENHAINA, NIDDA, SCHAUM-  
BURGO, YSENBURGO & BUDINGA &c.

VIDUÆ, REGENTI ac TUTRICI  
PRINCIPI & DOMINÆ SUÆ CLE-  
MENTISSIMÆ

devotissimè

subjectissimè

Hacce libat

CHRISTOPH. LUDOV. SCHWARZENAW.

## Proœmium.

**H**eander noster D. Lutherus præsentem Petrinum locum tantæ, quanta vix in ullo alio Novi Testamenti dicto occurrat, obscuritatis esse asserit T. II. len. fol. 341. ac mysterium quoddam continere, in *Comment. super Genes. Cap. VII.* tradit: *Honorificum nobis est*, sonant Ejus Verba, etiam si quadam sacrarum literarum Mysteria ignoremus. Habuerunt enim Apostoli suas revelationes, de quibus disputare multum, arrogans & stultum est. Talis fuit hæc revelatio de Christo, docente animas, seque tempore diluvii perierunt, ad quam fortasse non inepte referremus articulum Symboli de Christo ad inferos descendente, vid. T. I. in Gen. f. 128. Cardinalis Bellarminus, hunc S. Petri locum semper obscurissimum fuisse habitum, L. IV. de Christi anima C. XIII. §. ad ea, scribit, ibique tres discutit expositiones. Quoniam autem arduum ac difficile Oraculum istud nihilo secius, sub solennis Disputationis incudem producere, bono cum Deo in animum induxeram meum, hæcce, quò tutior versarer ac progrederer, arrisit mihi pertractandi Methodus, quâ [a] singula ejusdem verba percurrerem, horumque veros significatus traderem, ceu ex quibus unicus divinus sensus eruendus, & non ex præoccupato cerebro inferendus est. [b] Logicè resolverem, literalemque ejus sensum legitimis argumentationibus includerem, quippe

A

harum

harum beneficio, quasi Delphico gladio, intricatis-  
simos falsitatis nodos dissecare possumus. [c] Con-  
tentas in illo Fidei controversias theticè tractarem,  
veritatem confirmarem, & confirmatam ab Adver-  
sariorum exceptionibus vindicarem, hâc enim ratio-  
ne purum & impurum non solum distinguuntur, ve-  
rûm etiam ut opposita juxta se posita clariùs eluce-  
scunt. [d] Eusebianam & paracleticam praxin brevi  
ostenderem, cùm res nostræ Religionis non in dictis,  
sed in factis, consistant, Justinus paræn. ad Græc.  
Disputationem itaque nostram distinctis quatuor ab-  
solvemus Sectionibus, Philologo-Exegeticâ, Logi-  
co-Analyticâ, Positivo-Polemicâ & Practico-Asce-  
ticâ.

Adesto Domine JESU CHRISTE, qui pro me  
passus, mortificatus, vivificatus, ac in infernum Tri-  
umphator profectus es, hosque labores provehito!  
Amen.

### בִּיחוֹת

I. Petr. III. 18. 19.

**O**τικαὶ χειροὶ ἀπαξ ὡςὶ ἀμαργίων ἔπαθε, δίκαιος ὑπὲ<sup>ρ</sup>  
ἀδίκων. οὐαὶ οὐαῖς τῷσαλαγήν τῷ Θεῷ, θανατωθεὶς μὲν  
σαρκὶ, ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ πνεύματι. Εὐ ω, καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ  
πνεύμασι πορευθεὶς ἐκήρυξεν.

### Sectio I. Philologo-Exegetica.

§. I.

**O**ti quia, est conjunctio, diversas sustinens significatio-  
nes. In Sacris exponitur adversativè, assertivè, cau-  
saliter, expletivè, obiectivè, ratiocinativè, reduplicati-  
vè, specificativè. Vid. Harm. 4. Evangel. Chemnit.  
T. I. p. 227. b. 370. a. 586. a. T. II. p. 5. a. 8. a. 9. b. 133. a. 136. b. 665.  
b. 898.

b. 898. b. 994. a. 1246. b. 1543. b. 1586. a. 1711. b. 1716. a. 1993.  
a. 2178. b. Hic verò loci causaliter accipi nimis manifestum est:  
Apostolus enim fidelibus, Christi, tanquam Ducis eorum,  
exemplum & considerandum & imitandum proponit, ut idē be-  
nefacentes patientur, cùm & Hic innocentissimus pro fontibus  
sit passus.

## §. II.

Kαὶ &, est particula non solum copulativa, verum & adver-  
sativa Matth. XXI. 30, comparativa Joh. VI. 17 temporis Marc.  
XI. 22. ratiocinativa Gal. IV. 7. intensiva & emphatica Joh. XVII.  
25. Hic copulat & emphasis exprimit; etiam Christus, à quo  
Christiani denominamur, passus est.

## §. III.

Xεισὸς Christus græcum nomen est, derivatum ἀπὸ τοῦ χρέων  
vel χρέους ungendo, ac respondet Hebræo Μεσσίας :  
Quo nomine Reges, Prophetæ & Sacerdotes V.T. signabantur,  
ut pote qui oleo uncti Exod. XXIX. 7. I. Sam. XVI. 12. &c. cū  
figuræ & Typi repræsentabant JE-SUM; Cui καὶ ἐξοχὴ illud  
tribuitur, quia est קֶדֶשׁ קָדוֹשׁ Sanctus ille Sanctorum, quem  
juxta vaticinium Danielis IX. 24. decurrentib[us] ad finem septua-  
ginta hebdomadis ungi oportuit, non externo, sed vero latitiæ  
oleo, Spiritu & potentia, ultra omnes consortes suos Ps. XLV. 8.  
Ez. LXI. 1. Act. X. 38. Hebr. I. 9. Christus est concretum per-  
sonæ, sive nomen personæ συνθέτες, constantis duabus naturis,  
divinâ & humanâ. Neque tamen hinc, ut nec ex eo, quod offi-  
cium suum (ad quod unctus est) secundum utramque naturam  
administret, inferendum: Λόγον etiam juxta Deitatem ante in-  
carnationem unctum esse: quod ex Calvinianis Pezelius & Gra-  
bius propugnarunt. D. Egid. Hunn. in Praefat. Comment. super  
Epist. ad Ephes. Describitur enim hæc unctio, ut in tempore fa-  
cta, nec obscurè ad Christum quoad carnem applicatur Act. X.  
38. propterea tamen haud debet dici, solam carnem esse unctam.  
Distinguendas volumus hasce propositiones: Sola Humana  
Natura in CHRISTO est uncta, & Christus secundum solam  
humanam naturam est unctus. Hæc orthodoxa, illa heterodo-  
xa est. B.D. Haberkorn. Tr. de pers. Christi p. 23. B. D. Kromayer.

A 2

Theol.

\*) 4. (\*)

*Theol. Polem. p. 200. Praeceptores mei quondam int fideliss. ita honoratissimi.*

§. IV.

*Aπαξ* semel opponitur τῷ πολλάκις sāpē, & legitur etiam Hebr. IX. 26. 27. 28. Jud. v. 5. ἐφάπτεξ compositum Rom. VI. 10. Hebr. VII. 27. IX. 12. Cūm autem Christus f̄se Deo pro nobis obtulerit, ut propitiatorium sacrificium, quando semel pro peccatis passus est; igitur falsissima est Socinianorum sententia: Christum non in terris, sed sub ingressum in cœlis demum esse oblatum, aut etiam nūm in cœlo pro nobis offerri, ceu veri nominis sacrificium. *Consummatiss. Theolog. Dn. D. Calov. T. VII. LL. p. 506. seqq.* Prücknerus in h. l. vult, quod ἀπαξ summam quandam denotet perfectionem per Hellenismum, ut idem sit ac verissimè, perfectissimè.

§. V.

Πρεῖ pro aliquando est αἰτιολογικὸν, ut Luc. XIX. 37. ubi impulsivam decantatarum à populo laudum exponit causam. *D. Gerb. Harm. Evang. Cap. CXLIV. T. II. p. 115. a.* Verūm hoc in loco sumitur pro ὑπὲξ, conf. Matth. XXVI. 28. Marc. I. 44. Joh. XVII. 9. Rom. VIII. 31. *D. Dorschens P. I. Theol. Zach. p. 259. D. Calov. in Theol. Apost. p. 349.*

§. VI.

Αἱ μαρτ̄hōi peccatis, Αἱ μαρτ̄hia unde sit dicta? Augustinus sibi non occurere dicit l. 3. qq. sup. Levit. Cap. XX. Suidas deducit ab alpha σερπίνω, & μαρπίω assequit, & definit ἡνὶς ἀγαθὸς ζωτικός. Cui subscriptibit *D. Gerb. Harm. Cap. CXCI. T. II. pag. 1846. a.* scribens: Judas utitur verbo ἀμαρτῶν, quod descendit à μαρπίω apprehendo, assequor, fatetur igitur se à peccato quasi apprehensum, comprehensum, es habe ih̄n die Sünde ergriffen. Ab αἱ μαρτ̄hαι autem descendere αἱ μαρτ̄hia, tradit *T. II. LL. p. m. 291.* Alii derivant αἱ μαρτ̄hia, quod sit aliquid non congruum. Vid. *D. Calov. T. V. LL. p. 10.* Origenes vocat αἱ μαρτ̄hia, quod post deliberationem sciens volensque aliquis committit. Rectius tamen pro generali voce habetur, tam originale quam actuale peccatum denotante. Matth. I. 21, Rom. V. 12. 13. 23. *D. Chemnit. LL. P. I. p. m. 199.*

§. VII.

E' ταθε passus est, à πάθει pati. Legunt nonnulli απέθανεις ab Σποθησει annotante Cornel. à Lap. in h.l. quo modo quoque Syrus redditit θάνατον mortuus est. At priorem probat contextus.

Δίκαιος justus, sic vocatur Christus, non præcisè ab obedientia secundæ legis tabulæ præstita, de qua sumitur justitia Luc. I. 75. & à qua Simeon denominatur justus Luc. II. 25. sed absolu-tissimè, non tantum ratione Personæ, quod secundum Divinam naturam in se essentialiter justus, & secundum humanam peccati expers sit omnis, ὁ σωτήρ, ἀναστόρευτος Χριστὸς τῶν ἀμαρτωλῶν Hebr. VII. 26. adeoque nec peccare potuerit, contra Episcopum impiè ac scandalosè disputantem: Christum potuisse peccare, non tamen peccasse. D. Calov. in Confid. Ar-minian. p. 201. seq. Verùm etiam respectu Mediatorii Officii, in quo nobis agendo & patiendo justitiam acquisivit. Vel justus est essentialiter, habitualiter, causaliter & meritorie. Conf. Jer. XXIII. 6. XXXIII. 16. צדך צדקה Act. III. 14. VII. 52. I. Cor. I. 30. Hic cum primis Christi justitiam secundum carnem respici videtur, quia juxta hanc pro peccatis, proque injustis passus est.

Ἄπει pro, præpositio, pro diversa constructione diverso adhibetur sensu, cum accusativo constructa proprietatem vel superioritatem infert Matth. X. 24. 37. Luc. VI. 40. XVI. 8. Sed cum genitivo usurpatur (α) de objecto & æquivalent præpositio-ni de Rom. IX. 27. II. Cor. I. 6. Phil. I. 7. II. Theff. II. 1. (β) de impulsive causa, tūm interna φεγγυεύμενη Phil. II. 13. tūm externa φεγγαταρπεινη Rom. XV. 9. II. Cor. I. II. VII. 4. IX. 2. XII. 10. Eph. I. 16. V. 20. II. Theff. I. 5. (γ) de coniunctione, ut ferē idem sit quod cum Marc. X. 40. Luc. IX. 50. Rom. VIII. 31. (δ) de causa finali, & finem, commodum seu utilitatem notat Joh. XI. 4. II. Cor. XII. 10. Col. I. 7. (ε) de surrogatione, ac significat vice seu loco Joh. X. 12. XIII. 38. XV. 13. Act. XXI. 25. Rom. VIII. 26. IX. 10. XVI. 4. I. Cor. XV. 20. II. Cor. V. 2. Philem. 13. I. Joh. III. 16. D. Calov. Theol. Apost. p. 156. Quo vicario sensu in loco nostro accipitur.

## §. X.

A' δίκαιοι unjustis. A' δικαιοῦ injustus ex & privativo & δίκαιος, qualis equidem naturā omnis homo est, quia pravum est humani cordis pigmentum ab adolescentia sua Gen. VIII. 21. Speciatim autem ἀδικοῦ dicuntur increduli I. Cor. VI. 1. sicut justi fidèles, Christum verā fide amplexi, justificati, non viventes in carne, sed in fide Filii Dei. Matth. X. 41. Gal II. 20. Utraque acceptio hīc stare potest.

## §. XI.

*I*nvit, quandoque ponitur εὐθαλικῶς, ut sequelam tantum aut eventum notet Marc. XI. 25. Joh IX. 2. I. Cor. XI. 19. &c. item εἰδικῶς, ceu specificativa particula Joh. XV. 8. 12. 13. pro πᾶς quomodo Matth. XXVI. 4. exponentibus sic Marco XIV. 1. Lucā XXII. 1. pro ὅτε quando Joh XVI. 32. ac αἰτιολογικῶς vel τέλικῶς de finali causa, prout in Petrino nostro loco. *D. Gerhard. Harm. T. II. p. 284. a. 952. b. 1425. a. 1596. b.*

## §. XII.

Ημᾶς τερατάγγη nos adduceret. Occurrit hīc Anadiplosis Attica, quā Præterito tam activo quam medio, nec non aoristo secundo activo, item quandoque plusquamperfecto activo & passivo, verborum ab α, ε & ο incipientium, eleganti & Atticis usitatissimā τετράστει initiales præsentis duæ literæ præponuntur, sicque vox syllabā auctior redditur. Vid. *Dialectol. Sacr. Wyss. p. 33. 40. τερατάγγη* propriè significat adducere Luc. IX. 41. Act. XII. 6. XVI. 20. Attamen non est absurdum de oblatione, vel adductione per oblationis ac doni modum exponere. *D. Gerb. Comment. in b. l.*

## §. XIII.

Τῷ Θεῷ Deo. Θεὸς derivatur quibusdam à Θεῷ currere, quodd providentiā suā percurrat omnia Sap. VIII. 1. vel ab αἰθέρῃ urere, quod consumens sit ignis Deut IV. 24. Ebr. XII. 19. vel à Σεῖσθαι, quod omnia cernat, vel ab antiquo verbo Θέω (pro πονεῖ) pono, quod sit ὁ Θεὸς τῷ πάντῃ qui omnia fecit & posuit, uti voluit. Licet autem hæ rationes omnes apprimè Deo conveniant, nomen ipsum tamen primitivum esse cognoscimus, asserentes simul, quod aliquando creaturis & λεγομένοις θεοῖς impro priè

priè tribuatur, nihilo tamen minus in propria & principali significatione Divinæ Naturæ & Essentiae significativum sit, & non tantum officii, dignitatis & potestatis: Item quod voci  $\theta\epsilon\sigma$ s indifferenter modo præponatur modo non præponatur articulus  $\delta$ , cum de vero Deo sermo sit, contra Photin. & Socinianos. D. Gerhard. Exeg. p.m. 209. seqq. 227. D. Calov. in Theol. Nat. & Revel. p. 434. seqq. 478. seq. & T. II. Syß. p. 125. seqq. Alius Deus hic & personaliter & essentialiter accipi potest. Nam Deus erat in Christo, mundum sibi reconcilians, II. Cor. V. 19.

#### §. XIV.

$\Theta\alpha\tau\omega\theta\epsilon\isigma$  μὴ ταῦται, ζωοποιθεῖς δὲ τῷ πνεύματι. *Complutens.* *Glossa.* *Lyranus* aliique Veteres Latini, & ex modernis *Gagnaus*, *Catharinus*, *Arias* & *Suarez*. 3. p. t. 2. diss. 43. sect. 3. legunt ita: Mortificatos quidem carne, vivificatos autem Spiritu: atque explicant. *Christus* suā gratiā facit nos mortificare carnem, eamque subjecere Spiritui, ut illo vivamus, mentemq; erigamus ad bona spiritualia & celestia. Verior verò lectio est Græca, cui adstipulantur *Syrus*, *Augustinus Epist. 99.* *Cyrillus de Fide ad Reginas*, *Petrus Alex. in Concil. Ephes. tom. 2. 7.* *Hieron. in Cap. LIV. Es. Oecumen. Patabl. Cajetan. Hesselius* & alii.

#### §. XV.

$\Theta\alpha\tau\omega\theta\epsilon\isigma$ , ζωοποιθεῖς, mortificatus, vivificatus. Hæc participia præteriti temporis  $\pi\epsilon\gamma\alpha\sigma\eta\mu\alpha\sigma\iota\omega$  important, ac refellunt eorum versionem, qui autumant, Petrum ita loqui, ut Christum corpore mortuum & animâ vivum diceret. Quandoquidem aliud est  $\Theta\alpha\tau\omega\theta\epsilon\isigma$  & aliud  $\nu\epsilon\gamma\delta\sigma$ . D. Gesn. Diss. XIV. pro Libr. Concord. p. 526. seq.

#### §. XVI.

Mēv dē sunt adversativæ conjunctiones, in oratione ut plurimū se mutuō sequentes, interdum enim, quamvis ratiōs, & μὴ ponitur, sine dē subsequence. Act. III. 21. 22. In v. 23. legitur quidem dē, sed hoc non respicit antegressum μὴ. *Heervart.* in *Scrut. Philolog. p. 135.*

#### §. XVII.

$\Sigma\alpha\tau\omega\iota$ , τῷ πνεύματi, in grammatica hacce rectione sunt restrictivæ particulæ, vel vocabula utramque naturam in Christo deno-

denotantia, & restrictiones includentia, ut illud secundum vel  
juxta carnem aut humanam naturam Rom. L. 3. vel in carne I. Petr.  
IV. 1. hoc per Spiritum vel Dei virtutem II. Cor. XIII. 4. vel juxta  
divinam naturam dicat. Ubi tamen non in, per, juxta, secundum,  
non sunt χωριστὰ, διαμεριστὰ, separativa, divisiva, quasi,  
Christus in carne vel juxta aut secundum carnem est mortificatus,  
idem sit, ac sola Christi caro est mortificata: Quippe quod S.  
Scriptura nusquam dicit, sed passiones potius sicut & actiones  
personae tribuit. Et, Christus est per Spiritum, vel juxta aut se-  
cundum Divinitatem vivificatus, sensus hic sit: juxta divinam  
naturam tantum est vivificatus (activè sc.) Christus enim ut Ho-  
mo efficaciter ad sui vivificationem concurrit, seque ipsum exci-  
tavit, vi veræ communicationis idiomatum, ex personali Natu-  
rarum Unione resultantis. Sed sunt διορίσινα, διαμεριστὰ, ξύ-  
δεικνυτὰ, distinctiva, discretiva, ostensiva, quæ ipsas naturas à se  
invicem distinguunt, earumq; naturales proprietates discernunt,  
nec non ostendunt naturam, propter quam de Christo, tanquam  
totâ personâ, quæ est Θεός ἐγώ, prædicatur, quòd sit morti-  
ficiatus, & naturam, propter quam in activè vivificari vel activa  
resuscitatio de toto Christo affirmatur. Quòd Σαξὶς h̄ic inte-  
gram & perfectam Christi humanam, πνεῦμα autem Divinam  
Ejus significet naturam, ex parallelis de Christo agentibus locis  
colligitur Joh. I. 14. Rom. I. 3. I. Tim. III. 16. I. Petr. IV. 1. I. Joh.  
IV. 2. D. Gerb. Exeg. p. m. 467. Comment. in h. l. p. 430. seq. B. D.  
Haberk. Tr. de Pers. Christ. p. 426.

## §. XVIII.

Vana est exceptio Ariana Catech. Germ. p. 318. Petrus  
saget nicht / daß Christus durch seinen Geist lebendig  
worden / sondern nur / durch den Geist / welches soll  
vom Geist Gottes verstanden werden. Ad quam r̄det  
Plur. Vener. Facultas Theol. Witteberg. in istius solida refutatione  
p. 571. Es sagt St. Petrus auch nicht / daß Christus  
nach seinem Fleisch getötet sey / sondern nur / nach dem  
Fleisch / möchte derwegen etwan ein alter Schwer-  
mer von den Basidianern aus der Photinianer Logica  
gefolgert haben / es ist Christus nicht in seinem Fleisch /  
sondern

sondern in Simonis von Tyrenen Fleisch gecreuziget  
und getödet worden. Eben das / so unsere Widers  
sacher diesen Schwermern antworten möchten / sey  
thnen auch gesagt. Darnach so ists ganz unrecht /  
dass man den Geist Gottes dem Geist Christi entge  
gen setzet. Dann hält man doch gemeine Heiligen  
dafür / dass der Geist Gottes in ihnen wohne / derer  
Leiber auch des h Geistes Tempel genennet werden  
I. Cor. III. 16. Warumb sollte man dann nicht Christi  
Geist den Geist Gottes nennen / mit welchem Er doch  
ohne Maß gesalbet ist / Job. III. 35. Ps. XLV. 8.

## §. XIX.

Cornelius à Lapide in b.l. genuinè per Spiritum , inquit , ani  
mam accipe ; hanc enim oppónit carni Christi , & hoc prædicatur in  
seris , ut sequitur , q.d. Christus mortificatus & occisus est secundum  
carnem , at vivificatus secundum animam , idque tripliciter . Pri  
mo q.d. carne Christi moriente , anima eius non est mortua , sed vi  
vificata , i. e. remansit viva & gloria . Secundò Christi anima  
post mortem carnis fuit vivificata , i. e. planè viva , beata & gloria  
effecta , adeo ut triumphatrix dominaretur demonibus & inferno ,  
ut sequitur . Tertiò planè & plenè Christus vivificatus est Spiritu ,  
quando virtute Spiritus i.e. anima sua à mortuis resurrexit . Tunc  
enim anima quasi instrumentum divinitatis ejus carnem ingressa ,  
eam rursum animavit & vivificavit , novamque vitam & glorio  
sam ei communicavit . At plures Jesuita cumulat errores . Nam  
(1.) præsupponit significationem carnis pro corpore & Spiri  
tus pro anima tanquam certam , quæ est probanda . Neque ei  
favit oppositio : Salvâ etiam hâc manente , nihilominus inter  
pretatio perstat nostra . (2.) Unum eundemque cum Matthia  
Martinio Calvinista videtur errare errorem , quod mors non sit  
separatio animæ à corpore , sed privatio vita corporis , quem  
Magnus olim Theologus B. Senior Mentzerus accuratissimè con  
futat in Anti-Mart. p. 372. 404. seqq. vel T. II. p. 229. seq. 249.  
seq. Neque animæ neque corpori seorsim mors competit , ve  
rū toti homini , rationali animæ & corpore constanti , quem aut  
integral humanam naturam orthodoxa Ecclesia hīc per carnem

B

intel-

intelligit. (3.) minùs commodè dicit ac interpretatur , anima ejus non est mortua sed vivificata, i.e. remansit viva: quia vivificari de amissæ vitæ restitutio debet accipi, uti liquet ex opposito mortificari ; nihilque potest dici non esse mortuum sed remanere vel conservari vivum, nisi quod morti obnoxium est, & cui mors imminet. D. Gerb. T. VIII. L. L. p. 226. (4.) malè solam animam, ceu triumphatricem , dæmonibus & inferno dominatam fuisse statuit. Cùm totus Christus, animâ & corpore constans, vel tota persona, Deus & homo, ad inferos descenderit, illisque Victor dominatus fuerit. (5.) minùs rectè ait: Christum virtute animæ suæ resurrexisse à mortuis. Quamvis enim anima Christi, quatenus ipsius Substantialis & Personalis vitæ tempulum est, corpus suum vivificarit, & vivificandi vim in proprio suo corpore exerquerit, eò quod alter Adam factus est in Spiritum vivificantem I Cor. XV. 45. attamen ipsa non per se & suâ virtute corpus in vitam reduxit, sed communicatâ & λογίᾳ vivificatrice potentia.

## §. XX.

Ev in , præpositio multiplicem habens significationem. (a) notat rei complementum , idemque valet quod μὲν Luc. XI. 37. ἐν τῷ λαλῆσαι postquam locutus est. (b) instrumentalem causam Matth. III. 11. ἐν ὕδατι cum aqua. (c) motum ad locum Marc. I. 15. πιστεύετε ἐν τῷ ἐναργελίῳ pro eis τῷ ἐναργέλιον. (d) efficientem causam Luc. IV. 1. Jesus actus est ἐν τῷ πνεύματι pro ἡνὶ & πνεύματι interprete Mattheo c. IV. 1. (e) quamcunq; causam Rom. V. 9. Justificati ἐν τῷ αἵματι per sanguinem. (f) objectum Rom. XI. 2. an nescitis ἐν ᾧ λαλεῖ de Elia. (g) idem est ac propter Matth. XI. 6. Beatus, qui non fuerit scandalizatus ἐν ἐμοὶ propter me, mei causā. Hācque ratiōne interpretetur Oecumenus h. l. ἐν ὦ̄ ob quod, idcirco, quamobrem. q. d. *Quia Christus mortuus est pro iustis, non tantum sui & vi sequentis, sed & pro iis, qui eum incarnationem processerunt, puta qui fuerunt tempore Noe, idcirco descendit ad eos in infernum, ut eos indeliberaret, eisque sue mortis fructum, beatitudinem & visionem DEI impertiret.* Cùm verò hæc interpretatio falsas illas de patrum limbo, eorumdemque exinde liberatione vel eductione, hypotheses implicet, dimit-

dimitimus illam, ac m̄ē quietem notare dicimus, & ēr̄ recte exponatur in quo sc. Spiritu, Beat. Dn. D. Misler. Superintend. meus, eheu! desideratiss. in F. Concord. p. 167. vel in quo, momento sc. resurrectionis post ζωστίνοιν ante ανάσσων tamen D. Meissner. Christol. D. XL p.m. 519. D. Gefn. l.c. p. 527.

§. XXI.

Καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνέμασι & in carcere existentibus spiritibus. Φυλακὴ à diversis Autoribus diversimodè explicatur. Arias Montanus per carcerem intelligit arcām Noæ. Hesselius gentilissimum ejusque tenebras. Augustinus, Beda, Hugo &c. corpus humanum, quod quasi carcer animæ sit. Socin. explic. dicit. Script. adjuncta explic. c. I. Job p. 114. interpretatur per malitiae & ignorantiae vim. Calvinus l. 2. Instit. c. 16. § 9. & in Psychopannychia per speculam, in qua animæ piorum fuisse dicuntur, quia erant in continua expectatione passionis Christi. Alio de cœlesti vel divina exponunt custodia. Quoniam autem in Scripturis ita nuspiciō occurrit, sed vel propriè custodiā aut captivitatem ibi significat, ut Matth. XXV. 36. 39. 43. 44. Act. V. 19. VIII. 3. XII. 4. XVI. 23, vel de carcere, in quem pœnæ loco quidam detruduntur Matth. XVIII. 3. vel de tartaro usurpatur Apocal. XX. 7. conf. Matth. V. 25. Luc. XII. 58. infernalem carcerem nomine φυλακῆς h.l. intellectum volumnus. D. Calov. LL. T. VII. p. 690. T. XII. p. 66. D. Gerb. Harm. Cap. CLX. T. II. p. 677. b. & T. VIII. LL. p. 225. Et nobiscum consentit Syrus, qui habet בְּשִׁירֵי in inferno.

§. XXII.

Πνέμασι spiritibus. Perperam nonnulli legunt πνέματα spiritu, ac vertunt spiritualiter, quasi Christus non personaliter sed in spiritu, i. e. per vim & efficaciam venerit in carcerem, ut Johannes Benedictus & vetusta manuscripta Biblia Collegii Romani, teste Cornelio à Lapide in h. l. Græca enim exemplaria habent pluralem numerum, & Syrus legit נָשָׁבָכְנָא animabus. Unde per Spiritus quoque non possunt intelligi, vel Noa & ejus Filii cum Uxoribus, vel Gentiles, vel homines, qui temporibus Noæ erant. Nam de Spiritibus separatis loquitur Apostolus, & non hominibus, illosque vocat v. seq. 20. απεσθήτας, inter quos  
B. 2. &

Et ~~et~~ distinctio datur nulla. Illi enim sunt aut fideles aut infideles, tertium non datur. In incredulitate decedentes in infernum unicè trahuntur.

## §. XXIII.

Po<sup>g</sup> & Dei profectus, verè, propriè. Cùm reliqua omnia propriè intelligantur, quidni & hoc vocabulum sic exponatur? præsertim quia v.22. propriè adhibetur.

## §. XXIV.

E' <sup>η</sup>γενέν prædicavit, cùm realiter, sistendo sese incredulis (qui sc. Nox justitiae præconis Conciones spreverunt II. Petr. II. 3.) redivivum, nec non de morte & inferno triumphantem; tūn verbaliter, non illis evangelizando, ac lētissimum redēptionis, liberationis & beatitudinis nūncium affērendo, sed de ~~et~~ illis convīcendo, confutando & confundendo, ut magno suo malo hunc Redēntorem spreviſſe, sicq̄e jure dānnatos esse, cognoscant.

## Sectio II. Logico-Analytica.

## §. XXV.

Christus est passus.

Christus est Deus. E.

Deus est passus.

Propositio continetur in l. n. Assumptio quidem inter omnes SS. Trinitatem credendo colentes constat; propter Anti-Trinitarios autem brevissimis probatur ex Ps. XLV.8. Unxit te Deus, o Deus! oleo lētitiæ, præ confortibus tuis. Act. XX.28, I. Tim. III.16. Ebr. I. 9. ubi ~~est~~ subjectivè occurrit.

## §. XXVI.

Caro non est Deitas.

Christus passus est carne. E.

Christus non est passus Deitate.

Major indubitate vera est. Quamvis enim Naturarum ~~co~~ in Christo affēramus, illa tamen neque Divina natura fit humana, neque hæc vertitur in istam. Sed vi communicationis illius, Filius Dei suam humanam naturam sibi personaliter propriam habet, & Divina ejus natura verè est ac dicitur ~~et~~ incor-

incarnata; Et Filius hominis ita Divinam naturam communem sibi personaliter propriam habet, ut humana natura seu caro Christi sit Λογοθεῖσα, θεωθεῖσα. B.D. Haberk. l.c. p. 50. D. Hunn. de Pers. Chr. p. 38. Minor est in textu & I. Petr. IV. 1.

## §. XXVII.

Quicunque pro peccatis passus est, ille in passione sua infernales quoque eruciatus sensit. Atqui Christus est pro peccatis passus. E. Christus in passione sua infernales quoque cruciatus sensit. Major inde constat, quia pro peccatis pati nihil aliud hunc est, quam peccata hominum in se transferre, suscipere illorumque penas sustinere, subire; haec autem non modo corporales, sed & spirituales ac infernales sunt.

## §. XXVIII.

Quicunque pro peccatis, justus pro injustis, est passus, ille pro peccatis, quem sanctissimam vitam ac passione & morte suam, injustorum loco, satisfecit. Atqui Christus pro peccatis, justus pro injustis, est passus. E. Christus pro peccatis, quem sanctissimam vitam ac passione & morte suam, injustorum loco, satisfecit. Major probatur, quia non solum satisfacere in hoc negotio significat, Deum peccatis nostris offensum, interveniente redemptionis Auctore, pacare; Et justus justitiam, quoque activam, connotat: Verum &, cum in aliis linguis, tum in Graeca, usu receperum est, ut si quis alterius loco vel vice passus est, id pro illo passus dicatur. Cum sis ipse nocens, moritur cur victima pro te, ex Catone. Cum primis vero in Sacris innuitur substitutio, ubi pro aliquo quis pati aut mori legitur. II Sam. XVIII. 33. Utinam pro te mortuus essem, i.e. loco tui. Prov. XI. 8. Justus de angustia liberatur, impius autem venit pro eo, h.e. succedit eis loco in angustias. Joh. X. 11. Bonus pastor ponit animam suam ὑπὲρ τῶν πειθάτων loco ovium suarum, ut Syrus explicat (per suum σύριν quod etiam in l.n. legitur) vice vel loco Joh. XIII. 37. ponam animam meam ὑπέρ σας i.e. vice tui. &c. Minor est Apostoli, conf. Rom. V. 6. Hebr. IX. 28. II. Cor. V. 14. 15. 21. Gal. III. 13. I. Tim. II. 6. I. Joh. II. 2. adde Matth. XX. 28. Marc. X. 45. in quibus Evangelistarum locis praepositio αὐτοῦ habetur, quæ extra compositionem & per se, semper

(\*) 14. (\*)

semper surrogationis & vicariam significationem obtinet. D. C. A.  
lov. Theol. Apost. p. 109. 163. D. Schmidt. Colleg. Bibl. post. p. 77.

§. XXIX.

Qui pro injustis est mortificatus, ut nos Deo adduceret, ille verè pro omnibus & singulis hominibus est mortuus, ut hos Deo reconciliaret. Atqui Christus pro injustis est mortificatus, ut nos Deo adduceret. E. Christus verè pro omnibus & singulis hominibus est mortuus, ut hos Deo reconciliaret. Majoris probatio legetur infra Thes IV. & minor est D. Petri.

§. XXX.

Quicunque Spiritu (Deitate vel divinâ virtute, secundum Divinam naturam sibi essentiali, secundum Humanam hypostaticè communicatâ) est vivificatus, ille seipsum resuscitavit. Christus Spiritu (Deitate vel divinâ virtute, secundum Divinam naturam sibi essentiali, secundum Humanam hypostaticè communicatâ) est vivificatus. E. Christus seipsum resuscitavit. Major negari nequit. Minorem habet locus N.

§. XXXI.

Quicunque passus, mortificatus & vivificatus, ad Spiritus in infernali carcere inclusos est profectus, hisque ibidem prædicavit, ille tanquam Victor & Triumphantor verè ad inferos descendit. Atqui Christus passus, mortificatus & vivificatus, ad Spiritus in infernali carcere inclusos est profectus, hisque ibidem prædicavit. E. Christus tanquam Victor & Triumphantor verè ad inferos descendit. Utraque præmissarum est clarissima & verissima.

### Sectio III. Positivo - Polemica.

#### THESES I.

§. XXXII.

Deus est passus.

Deus (Ενταξεις) enim ( $\alpha$ ) æquè ac Christus totam indigit Personam, in utraque subsistentem natura, licet ab alterutra tantum denominatam; & ( $\beta$ ) sicut Naturæ inter se verè communicant, ita etiam earum proprietates in concreto naturæ. Quidni igitur,

igitur, cùm Divus Petrus Christum dicat passum, de Deo quoque prædicemus, quòd sit passus, præsertim ( $\gamma$ ) prælucente ac loquente sic S. Scripturâ. Dux vitæ imperfectus est. Act. III. 15. Deus Ecclesiam sibi acquisivit proprio sanguine. Act. XX. 23. Proprius Dei Filius in mortem traditus est. Rom. VIII. 32. Dominus gloriae crucifixus. I. Cor. II. 8. Ubi nomina Dux Vitæ, Deus, Filius Dei, Dominus gloriae sunt Divinæ Naturæ concreta, ipsam Deitatem cum ~~τασάσως~~ connotatione exprimentia, quibus proprietates humanæ naturæ per veram ac realem idiomatum Communicationem, juxta primum ejusdem genus tribuuntur, ac de iis enunciantur. Quare Deus (intelligendo id de Divina Natura cum hypostaseos connotatione) verè & realiter est passus, non ac si in Divina sua natura, sicut in assumta humilitate, sensibiliter, passibiliter & dolorosè passionem sustinuerit; neque quasi humana natura, cuius proprium est pati, in divinam fuerit transmutata vel conversa; Sed veritate Unionis & Communicationis personalis. Deus est passus in unione personæ, non est passus in proprietate Naturæ, juxta Vigilium l. 2, contra Euseb. p. 529. Totus Christus, Deus & Homo, passus est, paciente πεπτως in se naturâ humanâ, δοτέρως autem, ἐπομένως καὶ εμπέσως, propter personale unionis vinculum, etiam divinâ Filii Naturâ, non dolores sentiendo, sed retrahendo potestatem ab opere, ut humiliatus oculos virtute infirmari videretur, ut Ambrosius loquitur super Cap. II. ad Philipp. D. Baldwin. Diff. V. in Artic. Schmalkald. p. 107. B. Dn. D. Haberk. Tr. de Pers. Chr. à p. 231. ad 240.

## §. XXXIII.

Proscribimus illud Nestori πολυτελῆ ητον: *Noli gloriari Iudee, non Deum sed hominem crucifixisti!* apud Evagr. l. 1. Hist. c. 2. Histor. Bipartit. l. XII. c. 4. August. de Hæres. c. 91. Euseb. ac Theopaschitarum dogma, quo non Humanitas sed Deitas dicitur passa. Zwinglianam A'πολωσιν & Calvinianam Synedochem, quibus totus Christus pro altera duntaxat natura, aut altera Naturarum pro altera ponitur, vel nominatâ totâ personâ, pars intelligitur, sicque passio ad solam Carnem restringitur, ipsa verò persona ὁ Λόγος seu Filius Dei à passione immunis statuitur.

B. D.

B. D. Mentzer. T. II. p. 122. 163. 1337. D. D. Calov. T. VII. p. 303.  
*Bellarmini quoque sententiam L. de Incarnat. CVIII §. utitur.*  
*Licet divinitas non possit mori, verè tamen Deus mortuus dicitur,*  
*quia ille homo mortuus est, qui erat etiam Deus.* Imò omnes se-  
*cus sentientes, Saturnianos, Basilidianos cum Cerinthianis, Mar-*  
*citas, Cerdonianos, Marcionitas, Appellitas, Docetas, Manich.*  
*Mahometanos, blasphemantes alium loco Christi passum esse.*  
*D. Gerhard. in Exeg. p. 471. Dn. D. Calov. l. c. p. 647.*

## §. XXXIV.

Obj. I. Rectè potest & solet dici. Deitas est incarnata.  
 E. etiam Deitas est passa. R. negando consequentiam, pati e-  
 nim est humanæ naturæ proprium, non item & incarnari. Or-  
 thodoxo quidem dici potest sensu, Deitas vel divina natura (qua-  
 tenus in Persona Filiæ Dei subsistit, & non communiter specta-  
 tur, uti Patris non minus & Spiritus S. quam Filii est) est incar-  
 nata, i.e. unita carni. At, quia non est facta Naturatum unitas  
 sed Unio, & Personæ Unitas, hinc dici nequit, Deitas est passa.  
 Nec sequitur, quod, quæ Naturæ sibi mutuò unitæ sunt, illæ  
 etiam ex utraque parte in abstracto sibi in vicem proprietates com-  
 municent. Assumti, non assumentis, est perfici. *Maxim. Rever.*  
*Dn. D. Rudrauff. Phil. Theol. Exeg. X. §. 12.*

## §. XXXV.

Obj. II. Deus & Deitas non differunt realiter; si ergo  
 Deus est passus, etiam Deitas est passa. Imò Christus nil aliud est,  
 quam suæ duæ Naturæ: Si ergo Christus est passus, omnino  
 etiam duæ ejus Naturæ erunt passæ. R. (1.) Licet Deus &  
 Deitas non differant realiter, distinguuntur tamen verâ & my-  
 sticâ distinctione, fundamentum suum habente in distinctis præ-  
 dicatis, quorum unum de Deo rectè enunciatur, non vero par-  
 formiter de Deitate, e. g. Deus erat apud Patrem Joh I. non  
 Deitas, quia unum est Pater & Filius, ratione divinæ essentiæ  
 Joh. X. 36. (2.) Deus ἀσαρχος sensu identico est sua Deitas,  
 non ἐνσαρχος, qui dicitur passus. (3.) Christus esse dicitur suæ  
 duæ naturæ, ad excludendam modò compositionem tertiaræ na-  
 turæ, vel tertii (quale tertium, à naturis duabus quasi Subjecto  
 distinctum, quod Reformati statuunt, eos convincit *Dn. D.*  
*Wagne-*

Wagnerus Inquisit. Theol. in Act. Henot. Sect. III. Cap. VII. p. 182.)  
non verò distinctionem omnino omnem. Siquidem Christus  
est unum Personæ concretum, Naturæ duæ sunt duo abstracta:  
Hæ Naturæ sunt & & non, non item Christus & & non. B. D. Haberk. l.c. p. 161. seq.

## §. XXXVI.

Obj. III. Pro mundi vita pati non est proprietas carnis,  
sed totius personæ secundum utramque naturam, E. etiam  
Deitati passio tribui debet. R. aliud est pati, aliud pro mundi  
vita, vel pro peccatis & pro injustis pati. Illud est naturæ huma-  
næ proprium, hoc autem apostolosma vel θεοδελλην ἐρέγγειος,  
Christo secundum utramque naturam competens. B. D. Mentz.  
in Anti-Mart. p. 281. T. I. Gieff. D. III. §. 87. & DD. VII. §. 91.  
VIII. §. 65. contra Sturmum.

## §. XXXVII.

Obj. IV. Deitatem pati non posse, passionem ergo Chri-  
sti solius humanæ naturæ esse. R. (1.) à Deitate in abstracto  
ad Deitatem in concreto non valet consequentia. Divinitas  
quod planè sit & & assentimur. Deum seu Filium Dei non  
esse passum, inficiamur. *Filius Dei verè, secundum tamen as-  
sumtam humanam naturam, passus, &c., ut Symbolum nostrum A-  
postolicum testatur, verè mortuus est, et si Divina natura neque pati  
neque mori potest, afferit Liber Concordia p. 766.* Quām verè  
Deus homo natus est, tām verè Deus est passus. Quām pro-  
pria est & propinqua homini sua caro, tām propria & propinqua  
Filio Dei assumta humanitas. Patiente igitur humanā Christi  
naturā, Filius Dei patitur, non merē πρωταρίως, non tantū  
χελεύως, non οἰοπήρως, non αὐτοκατείλως, non στωδῶς, non συνε-  
δοχῆως, sed αληθῶς, ἔποστατηνῶς, nec non ιδιοπομπίνως, βελη-  
κῶς, συγχωρητικῶς, ἐρεγγητικῶς D. Gerh. in Exeg. p. 474. Non  
quod Divinitas Λόγος αὐτὸς & in se patiatur, quippe quæ adeò  
ab omni passione est exempta, ut in ipsam ne umbra mutationis  
cadat. Jacob. I. 17. sed quod humanitas, assumta in ὁ Λόγος uni-  
tatem, non minus propria & propinqua sit Dei Filio, scil. perso-  
naliter, quām nobis est nostra caro essentialiter. D. Brochm. T. I.  
Syst. p. m. 867. Hoc oportet confiteri Christum seu personam  
C pati.

pati. Jam persona illa est verus Deus. E. rectè dicitur, *Filius Dei* patitur. Licet enim una ejus pars ( ut ita loquar ) ut Divinitas non patiatur, persona tamen, quæ Deus est, patitur altera sui parte, utpote humanitate, docet *D. Chemnit.* ex *B. D. Luther.* *L. duabus Naturis C. XIV. p. m. 72.* (2.) distinguo inter hasce propositiones. *Sola Humana natura Christi est passa*, & Christus secundum solam humanam naturam est passus. Illa ( quæ manifesto redolat Nestorianismum, *Apolog. Libr. Christ. Conc. c. I. f. 3. a.* ) rejicitur, ne excludatur persona, hæc admittitur ne convellatur naturarum discrimen. *Dn. D. Calou.* in *Exeg. Aug. Conf. A. III. C. VI. §. IV.* *D. Gerb.* in *Expl. Evang. p. m. 481.*

## §. XXXVIII.

Obj. V. Patres dixerunt solam humanitatem pro nobis passam & mortuam esse. *Tertull. l. de Trinit. Aug. ep. 57. ad Dard. Fulgent. l. 3. ad Thrasym.* (1.) Patres asseruere solam humanitatem passam non extra *Adyse* personam, neque exclusâ Deitate. Nam (2.) *Tertullianus* Theopaschitarum errorem perstringit, qui Deum in Deitate sua naturaliter passum somniabant. (3.) *Augustinus* l.c. loquitur de illis, quæ Christo competunt, tam ut Deo, quam ut Homini per naturæ proprietatem seu naturalem virtutem. Sed illa, quæ de naturis dicuntur in abstracto vel *Ex. Ph. 4.* non tollunt, quæ per unionem & communionem iis competit in concreto & uel *ad. 3. 1. 1.* (4.) *Fulgentius* vindicat l.c. Deum à passione & contristatione, factâ in divina naturæ proprietate, cum ejusdem laceratione & passibili lassione. *Aliud enim est*, inquit, *in carne passum*, *aliud carni prædicare compassum*. *Aliud anima contristatum*, & *aliud cum anima contristatum*. *Passus est Deus in homine*, quia una est Dei hominis quæ persona. Non est compassus Deus homini, quia in uno Christo non est confusa Dei hominis quæ substantia. *B. Dn. D. Misler.* in *Diatr. Theol. p. 81.* *D. Chemnit.* *de Duab. Nat. C. XV. p. 76.*

## THE SIS II.

## §. XXXIX.

Christus seu Filius Dei infernales in passione sua cruciatus sensit.

*Passus est pro peccatis ex l. n. propter hæcce verò temporali*

porali non solum & corporali, sed spirituali quoque ac infernali morti eramus subjecti; hanc igitur etiam in se transtulit, subiit, & hujus angores, dolores, aculeos, cruciatus, spicula, tormenta, in sanctissima sua anima sensit. Quod alterius sequentia probant: quia sc. (a) Christus in oliveti horto cœpit ἐνθαυβεῖσθαι, ἀδημονεῖν καὶ λυτεῖσθαι, animam suam circumquaque tristem dixit, & sanguinem sudorem guttatum in terram emisit Matth. XXVII. 37. 38. Marc. XIV. 33. 34. Luc. XXII. 44. (b) in cruce pendens cum insigni querimonia clamavit: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti Matth. XXVII. 46. conf. Pf. XXII. 2. 5. Quamvis enim *Thoma Bilsonio Winthoniensi in Angl. Episcopo de descensu ad inferos p. 234.* placeat: Christum hic non de se, sed ipso humano genere locutum fuisse, & hoc ipso clamore quasi admiratum, quod tam longè Deus Pater à genere humano recesserit ob peccata, illudque adeò dereliquerit. Certum ramen est, Christum de se, in officio suo sacerdotali considerato, plena illa querelarum verba effatum esse. (c) pro nobis factus dicitur maledictum Gal. III. 13. (d) mortes in plurali numero Christo tribuuntur Ef. LIII 9, cùm prima, corporalis, temporalis vel secularis, tūm secunda, spiritualis, infernalis & alterius seculi. Nullatenus autem hāc oppressus & vixus est, sed sicut illam tolerando, ita hanc gustando debellavit. In infernalibus nequaquam succubuit doloribus, sed illos veros ( quantum ad essentiam, non quoad infernalis πᾶς & æternæ durationis circumstantiam ) sustinendo superavit. Plura argumenta leg. ap. D. Winckelm. T. I. Gieff. Disp. XIII. §. 26, 27. seqq. D. Calov. T. VII. LL. p. 657. seq. D. Gerb. in Conf. Cath. T. II. pag. 314. seq. D. Brochm. T. I. System. p. 867. seq.

## §. XL.

Pontificii & Sociniani contradicunt thesi. Vid. ex illis Belalrm. L. IV. de Christiana C. VIII. §. refellitur. Ubi novam & inauditam impietatem vocat nostram sententiam. Anglo-Rhemenes in Annot. ad Hebr. V. 7. qui blasphemiam esse assertunt, quod Christus fuerit in anima passus. Ex his Smalc. in refut. Thes. Frantzii disp. 3. de Per. Chr. p. 71. Socin. in prælectionib. Cap. 8. n. 103.

C 2.

§. XLI.

Obj. I. Scripturas totam salutem tribuere sanguini & morti corporali ipsius Christi. Phil. II. 7.8.9. R. (1.) ab unius positione & affirmatione ad alterius exclusionem & negationem non V. C. nam & suas in salutis nostre procuratione relinquendas esse partes sanctissimae Christi vitae, postmodum dispiemus. (2.) Apostolus non sine causa meminit I. c. mortis & savagis, quae cum maledictione est conjuncta Gal. III. 13.

## §. XLII.

Obj. II. Non potuisse Christum sustinere dolores infernales, quin desperaret; quia dolor inferni conjunctus est cum desperatione. R. (1.) Impientissimum est de Christo dicere, quod desperabit. (2.) falsissimum quoque, quod Christus non potuerit infernales sustinere dolores, quin desperaret. Nam desperans infernales non tantummodo sustinet dolores, sed iisdem etiam succumbit. Christus autem illos ita sustinuit, ut eluctatus sit & viator eminuerit. (3.) Desperatio non pertinet ad esse vel essentiam infernalium dolorum neque eorundem pars ac cum iis immidiatè conjuncta est, sed adjunctum aut accidens in paciente; cum & sancti quandoque illos in hac vita experiantur dolores, nec tamen desperant Ps. XVIII. 6. Ps. LXXXVI. 13. (4.) Damnati ideò desperant, quia absque omni spe veniae abjecti jacent in inferno, & ira Dei manet super ipsos in æternum Joh. III. 36. Verum Christus ad tempus solum iram & derelictionem Dei sensit, quippe animam postea suam in cœlestis Patris commendavit manus Luc. XXIII. 46. (5.) Neque ex illius derelictionis sensu desperatio in Christo oriri potuit, quia in eo fuit scientia summæ connexionis per Unionem personalem, scientia summæ suæ sanctitatis & innocentiae, minimè vero gentium conscientia proprii sui peccati, existimatio impossibilitatis consequendi desideratam liberationem, intermissio conatus consequendæ æternæ gloriae, falsa opinio intellectus. D. Dorsch. P. I. Theol. Zach. C. VIII. p. 176. D. Gerb. P. I. Disput. p. 57.

## §. XLIII.

Obj. III. Si debuisset Dominus æterno tempore in inferno manere, & infinitum propè numerum pœnarum perpeti. R. (1.)

(1.) negando consequentiam , quia (α) erat persona infinita  
 (β) Sanctissima Dan. IX. 24. Ebr. VII. 26. I. Petr. II. 22. (γ) de  
 morte, inferno & hostibus nostris triumphatura Hof. XIII. 14.  
 L. Cor. XV. 54. Coloss. II. 15. Hebr. II. 14. (δ) resurrectura & in æ-  
 ternum regnatura I. Cor. XV. 25. Es. LIII. 8.seq. Es. XXII. 23, &c.  
 Hinc, quia passio & mors Christi ipsam infinitam & æternam vir-  
 tutem atque efficaciam intrinsecè includit : Damnatorum verò  
 cruciatus ab extrinseco & à posteriori solum sunt æterni; Christus  
 non necesse habuit, nec debuit, neque potuit per æternam dura-  
 tionem seu in æternum pro nobis pati & mori. D. Haberk. l.c. p.  
 339. 359. (2.) Infernales quidem dolores alias & ordinariè æterni-  
 tatem includunt, duratio autem hæc ab ipsa rei essentia separabi-  
 lis est, adeoque ipsi dolores tolerari possunt, etiam si in æternum  
 non tolerentur. (3.) Christus istos dolores intensivè toleravit, non  
 extensivè.

## §. XLIV.

Obj. IV. Quicunque est in summa innocentia & sancti-  
 tate , is non potest angi animo ob dolorum infernalium & tristi-  
 tæ omnium molestissimæ & mordacissimæ sensum. Atqui  
 Christus est in summa innocentia & sanctitate. E. 32. negando  
 majorem. Hac enim verâ existente , nec corporalibus affligi  
 potuisset sanctissimus & innocentissimus Jesus pœnis, utpote in  
 illum quoque contendentibus. Salvâ proinde Christi inno-  
 centiâ & summâ sanctitate, summi spirituales in ipso dolores &  
 maximi angores fuerunt. Imò quò sanctior & innocentior fuit  
 Christi status , eò major & profundior illorum toleratorum à  
 Christo dolorum est efficacia ; tanto quæ pretiosius valent apud  
 Deum.

## §. XLV.

Obj. V. Quæ anima fruitur perpetuâ beatitudine, illa  
 non potest cruciatibus & doloribus infernalibus obrui. Atqui  
 anima Christi à momento Unionis fruitur beatitudine. E. 32.  
 (1.) Thomas de Argentina censet, non repugnare, ut in una ea-  
 demque anima sit delectatio beatificæ fruitionis Dei, & tamen  
 actuale odium Dei & damnatorum pœna. Cui consentit Fran-  
 ciscus Magronius l. 4. diff. 50. a. 1. (2.) Vasquez. T. I. in 3. pag.  
 diff. 73. c. 4. n. 28. & Tannerus T. 4. p. 416 disputant è Scoto, Du-  
 rando, Argentinensi, Almagno & Cajetano , delectationem &

C 3 frui-

Fruitionem de Deo clare viso talis quidem esse naturę, ut si suę naturę relinqueretur in anima Christi, ita omnem pelleret tristitia, atque dolorem vinceret, ut Christus neque mortem timeret, neque de illa tristaretur; peculiari tamen dispensatione effatum fuisse, ut simul delectaretur de Deo & tristaretur de morte. Unde (3.) sicut non pugnant inter se delectatio de Deo & tristitia ac dolor de morte, ita nec repugnantes Jesuitis videri debent beatifica Dei fructio & infernalium dolorum gustus. Sicque negatur major propositio. (4.) Negatur item minor, S. Scriptura enim hanc beatificam Christi visionem non tradit, sed ignorat, imò refellit expresso Oraculo Ebr. XII. 2. D. Scharff. in Disp. quadam de morte Christi verè proprię satisfactoria pag. 17. (5.) Anima Christi à creationis initio & Unionis momento multis quidem respectibus beata prædicari potest; attenuenon fuit beata, interrupta, perpetuata & incessante clara, beatificā & gloriosā Dei visione. Et quamvis in Christo fuerint infinita dona sanctissimae ipsius animae communicata, illis nihilominus propter *κένωσιν* non perpetuò usus est Christus secundum animam suam. Philip. II. 6. 7. Nec ex S. Spiritus charismatisbus, ad animam Christi, in exinanitionis statu positę, auxilium concessis, inferri statim potest beatifica totius divinę plenitudinis fructio. D. Dorsch. l.c. p. 195. seqq.

## THESES III.

## §. XLVI.

Christus æquè sanctissimam vitam ac passione & morte suā, pro omnibus omnino peccatis eorumque pœnis, hominum loco satisfecit, sibi autem nihil promeruit.

Expressa Petri verba sunt: Christus semel pro peccatis passus est, justus pro injustis: In quibus sicut & C. I. 18. 19. activam & passivam conjungit obedientiam, declaratam tūm innocentissimam ac Divinę voluntati exactissimè conformi vitam, tūm promissimo, non solum generaliter, verū etiam in specie magnam ac ignominiosissimam, passionem sustinendi obsequio. Per unius hominis obedientiam multi constituuntur justi Rom. V. 19. ubi sola, quam in morte præstítit, obedientia non potest intelligi-

intelligi, quia Adami inobedientiae, quæ contra universam fuit legem, opponitur, ac v. 18. dicitur. Sic & per unius justitiam in omnes homines, in justificationem vitæ. Justitia autem sola passio vocari nequit, nec passio tota Christi justitia. Conf. Phil. II. 8. Finis legis est Christus ad justitiam omni credenti Rom. X. 4. E. illam, quam Lex à nobis exigit, reperimus in Christo justitiam. Addi potest Rom. VIII. 3. Nisi Christus obedientiam legi præstando pro nobis satisfecisset, tūn̄ non fuisset sub legem factus, ut nos à lege redimeret, quod est contra literam Gal. IV. 4. Quicquid etiam nos debuimus, à Sponsore nostro Christo adimplendum fuit; Non verò solam pœnam pro peccato, sed & obedientiam pro culpa debuimus; quare hanc Christus æquè præstít, ac illam luit, ut pro nobis satisfaceret. Activa obedientia promittitur vita. Hoc fac & vives Luc. X. 28. Qui igitur ad satisfaciendum Dei justitiae non sit necessaria? Per hanc itaque Christus simul ac passionem & mortem suam, pro omnibus peccatis eorumque pœnis (quia D. Petrus loquitur indefinitè ac illimitatè, pro peccatis. Signum Universalitatis omne Tit. II. 14. I. Joh. I. 7. præponitur; nec non peccata ac pœna se mutuò ponunt ac tollunt) nostri loco læsæ divinæ justitiae perfectissime satisfecit, sicque sufficientissimum lytrum seu pretium, ad nos redimendos, & non sibi aliquid (propriè loquendo) promerendum, persolvit. Unde dicitur Ἰακωβος Roman. III. 25. Ἰακωβος I. Joh. II. 2. IV. 10. Suminus Sacerdos constitutus eis πάντες τοὺς αἰματούς ἐλεῖ Ebr. II. 17. factus pro nobis peccatum, ut nos efficeremur in ipso justitia Dei II. Cor. V. 21. &c. D. Calov. T. VII. p. 517. Theol. Apost. p. 313. D. Gerhard. T. Conf. Cath. IV. p. 58. 61. seqq.

## §. XLVII.

Blasphema est Socini (cui Arminius Episcopius aliquo modo consentit D. Calov. in Arminian. Conf. p. 194. seq.) sententia, quando contra totius Christianæ Ecclesiæ consensum, primus ausus est docere in libro de Servatore & alibi: Peccata nobis remitti nullâ intercedente Christi satisfactione; Imò per Christi obedientiam non potuisse satisfieri divinæ justitiae, nec justitiam divinam talēm requisivisse satisfactionem. Christum verò eatus

tenus tantum Mediatorem nostrum esse, quatenus novam ad vitam aeternam nobis manifestavit viam, & morte suâ eam veritatem obsignavit. *Volkelius* l. 5. de V. R. C. 32. p. 57. scribit: Illos, qui Christum morte suâ, nostro loco ea, quæ divinæ justitiæ debebamus, persolvisse afferunt, tunc S. Scripturæ, tunc rectæ rationis judicio obsistere. *Scholastici quidam* negant: Christi satisfactionem fuisse secundum justitiæ rigorem ex se æquivalentem, citra liberalem Dei acceptationem & promissionem. *Job. Piscator* in *Comment. Bibl. in primis autem Volum. I. L. 15. th. 18. 19.* novo prorsus, & à reliquis suæ scholæ Doctoribus damnato, ausu contendit: Solam Christi passionem & mortem, exclusâ sanctissimâ ejus vitâ, sufficientissimum redēptionis generis humani pretium esse: Quod ab ipso deinceps *Matthias Martinius* hausit; acriter autem cumprimis oppugnatum est à *Georgio Carletano Anglo* in *l. de consens. Ecol. Cathol. contra Trident.* p. 3. c. 3. hisce tandem verbis suam Disputationem concludente. *Sufficiente* hac ad hanc novitatem coercendam, quæ nuper sine autoritate, sine ratione excogitata est, quam S. Scriptura quam Patres ex Scripturis ubique convellunt, quam Ecclesia magno consensu usque ad Martini Lutheri tempora ignotam habuit. Nec quisquam acrius & illustrius in hac re veritatem propugnat, quam Lutherus ipse, & magni illi in Germania Viri, qui in Evangelio propagando Luthero successerunt, ut mirum videatur, Germano cuiquam hanc novitatem placere potuisse. Ex Calvinianis *Zanchius*, *Piscator* &c. (qui bus *Calvin. I. 2. Instit. c. 17.* & alii aperte contradicunt) frustra defendere satagunt, quod Christus non nobis tantum, sed & sibi aeternam promeruerit vitam. Quem errorem quoque *Pontificii* amplectuntur. *Bellarminus*, *Lombardum*, *Thomam* ac alios secutus, statuit *L. V. de Christo Mediat. C. IX. §. Hactamen.* Christum meruisse sibi illa omnia, quæ accepit post passionem suam. Ex Papistis nonnulli statuunt, Christum pro solo originali peccato satisfecisse, & hominem pro suo actuali peccato latifacere posse, imò pro culpa & pena aeterna, ut *Ruardus Tapperus* disputat in art. 6. *Lovan.* nec non eō progreditur, ut scribat *tom. I. f. 141.* Christi meritum non mereri nomen perfectæ satisfactionis.

§. XLVIII.

35. (3)

§. XLVIII.

Obj. I. Deus in V. T. ubique promisit resipiscientibus remissionem peccatorum, & quidem gratuitam. E. Citra satisfactionem Christi. Rz. (1.) Subordinata non sunt opponenda, & quæ in uno Scripturæ loco desunt, ex aliis sunt supplenda, quare negamus consequentiam. Gratuita certè remissio peccatorum & Christi satisfactione adeò minus invicem pugnant, ut potius amicissimè conspirent. Quod enim illa locum haberet, hanc intercedere oportuit, utpote per quam divinæ justitiæ λύτεον redēptionis præstītūm est. D. Gerb. T. III. LL. p. 476. (2.) Resipiscientibus victimarum sacrificatio præcipitur, ut peccata remittantur Levit. IV. 3. hostiis autem illis expiandi vim non per se & ex opere operato competere, liquet ex Ps. XL. 7. & LI. 19. sed respectu fidei in Christum ut Λύτεωθην, per cuius quippe gratiam Patres salvati sunt, sicut & nos salvari credimus Act. XV. 11. Unde Hebr. XI. 4. dicitur: Abelem fide majorem hostiam obtulisse, quam Cain.

§. XLIX.

Obj. II. At in N. T. promittitur remissio peccatorum credentibus & obedientibus Christo, nulla adjuncta satisfactionis conditione. Rz. (1.) Falsum hoc est. Proposuit enim Deus Christum Jesum propitiatorem per fidem in sanguine ipsius Roman. III. 25. conf. Act. X. 43. II. Cor. I. 20. (2.) in justificatiōnis articulo fides & nova obedientia pessimè conjunguntur.

§. L.

Obj. III. Matth. XVIII. 23. sub parabola Domini & servi jubemur, ut remittamus sicuti Deus. At nos teneimus sine interveniente satisfactione remittere. E. & Deus remittit sine satisfactione. Rz. (1.) Theologia parabolica non est argumentativa. (2.) Res non rei modus comparatur. Tō sicut non est nota æqualitatis sed similitudinis, quæ v. 35. declaratur, dum de cordibus nostris fratri remitttere docemur. Aliás (3.) necessarium esset, ut Deus peccata remitteret, quemadmodum ex Dei præcepto necessarium est, ut nos remittamus. Et (4.) Deus etiam impenitentem deberet impunitum dimittere, quod nos in privatis injuriis tenemur.

D

§. LI.

36.

35.

24

31

Obj. IV. Injustum est, unum pro alio puniri, & contra legem Ezech. XVIII. 20. R. (1.) S. Literæ disertè docent, pœnas peccatorum nostrorum fuisse à Christo exactas. Es. LIII. 5. seq. Gal. III. 13. &c. humanis ergo ratiunculis hæc non sunt dijudicanda, sed ex verbo & Dei voluntate. (2.) Cùm volenti non fiat injuria, negamus injustum esse, si à volente & in rei locum se substituente, illud, quod reus deliquit, exigitur. Volens autem Christus animam suam pro nobis posuit Joh. X. 15. 18. Distinguigitur (3.) inter voluntariam pœnæ susceptionem & violentam ejus impositionem. Deus lege cavit, ne quis alterius pœnas ferat invitus, adeò ut violenter ipsi imponantur, siquidem hoc foret iniquum. Nihilominus tamen aliquis volens alterius pœnas ferre potest, uti Christus peccati pœnam sponte suscepit & non coacte pertulit. Ebr. X. 5.

## §. LII.

Obj. V. Remissionem peccatorum & justitiam nostram adscribi à Dei Spiritu soli sanguinis effusione. R. (1.) S. Scripturam passioni & morti Salvatoris nostri justitiam & salutem nostram adscribere affirmatur, sed illi soli negatur. Mors vel passio Christi & ejus obedientia activa, non ut opposita dividenda & separanda, sed ut subordinata conjungenda sunt. (2.) Ps. XL. 9. 10. Hebr. X. 5. 6. seqq. ait Christus, ecce, adsum, Deus, ut faciam voluntatem tuam. Quā voluntate sanctificati sumus per oblationem mortis Jesu Christi semel factam. Hanc verò Patris voluntatem impleuisse Christum, non tantum voluntarie patiendo, sed etiam sanctissimè vivendo, & commissi officii partes in omnibus implendo, clarissimè elucet ex collatione locorum Joh. IV. 34. V. 30. VI. 38. seq. IX. 31. XVII. 19. (3.) Causa, qua de nos Scriptura frequenter ad Christi passionem & mortem revocat, est hæc, eò quod in ejus voluntaria oblatione est utriusque obedientiæ κωλοφὸν, complementum, finis, Philipp. II. 8. summusque dilectionis gradus cùm erga Deum tūm erga nos appareat Joh. XIV. 31. Galat. II. 20. Ephes. V. 25. B. D. Mentzer. T. II. p. 350.

## §. LIII.

Obj. VI. Christus pro se debuit obedire legi tanquam creatura. E. non pro nobis. R. (1.) Christus non est mera creatura & communis homo, sed ~~Deus~~ homo, ac proinde persona, non pro se legi subjecta, sed lege superior, non legis servus, sed Dominus, Dominus Sabbathi Matth XII. 8. Marc. II. 28. (2.) Pro se obedire legi, est contra officii redemptorii qualitatem, secundum quam non sibi sed nostri gratia venit in hunc mundum, ut quicquid in officio suo promeretur, non sibi sed nobis ficeret. Esa. XLV. 24. Zach. IX. 9. Joh. XVII. 19. I. Tim. I. 15. Nobis enim natus & datus est. Esa. IX. 6. nobis factus est justitia. I. Cor. I. 3. idcirco sub legem factus, ut nos, qui sub lege eramus, redimeret Gal. IV. 4. B. D. Mentzer. T. III. Gieff. Diff. XV. §. 32. 44. seq. Gerhard. Exegeſ. §. 33. p. 15 25. loc. IV. D. Echart. in pecul. libello de hac materia Cap. III. Argum. V.

## §. LIV.

Obj. VII. Si Christus juste vivendo pro nobis satisfecit, tum non opus fuit morte & passione ejus; quia is qui juste vixit, vel qui habetur ac si juste vixisset, non est obnoxius poenæ, ac proinde nec maledictioni. R. (1.) Christus nostri loco satisfacere debuit cum legis mandato, tum legis maledicto, vel pro culpa & poena, sicque & juste vivere & juste mori, ac in ipsa morte obedientiam legi debitam præstare, malè enim activa Christi obedientia in ejus vita passionem antecedente terminatur; Cum in mediis passionibus, etiam in ipsa morte, Christi actio & virtus mirificè eluceat, ut rectè vocetur passio activa & actio passiva, à Bernardo Serm. 4. Hebdom. poenosa. Quate (2.) Satisfactio Christi pro nobis neque solā sanctissimæ vitæ obedientiâ, exclusâ passione & morte, neque solā mortis obedientiâ, exclusâ vitæ puritate atque sanctitate, definiri potest & debet; verum totâ obedientiâ, quam Deo, totam divinam legem perfectissimè observando, & penas peccatis nostris debitas perpetiendo, præstitit. Vid. Diff. III. T. I. Gieff. §. 124. D. Brochm. T. I. System. p. 873.

## §. LV.

Obj. VIII. Rotundam Scripturarum assertionem esse: Christum pro nobis esse mortuum: Nuspiam autem scriptum extare

extare, Christum pro nobis sancte vixisse. R. (1.) licet totidem verbis non extet, res ipsa tamen in Scripturis habetur. Matth. V. 17. Rom. VIII. 3. 4. Nec ea omnia è foro Theologico eliminanda sunt, quæ τὸ πνεῦμα formaliter non extant in Scriptura Sacra. B. Dn. D. Hannek. Diff. IV. de inßt. §. 12. (2.) necesse fuit, Christum pro nobis sancte vixisse. Contra Decalogum enim non justificamur & salvamur, utpote qui immota divinæ justitiae regula est; neque perfecta legis impletio est homini peccatori possibilis, alius igitur requirebatur ἀνθράγητος Mediator, sc. Christus, qui perfectissimam legi obedientiam præstaret. B. D. Muster. Diatrib. p. 119.

## §. LVI.

Obj. IX. Christum factum esse obedientem usque ad mortem crucis. Quapropter etiam Deus extulit ipsum in summam sublimitatem Philip. II. 9. R. (1.) Scopus Apostoli est, hortari Philipenses suos, ut misericordia & εὐερδοξία seu vanâ gloriâ, modestiam sectentur, ac humiliiter de seipisis sentiant, & non sua quisque spectet v. 3. 4. Cui instituto adstruendo non inserviret exemplum Christi, si hic suam gloriam & sublimitatem, passionibus & morte, quas pertulit, quamque subiit, quæsivisset. (2.) Particula διὸ non est causaliva sed illativa, quæ ordinis consequentiam, & non causalitatem, infert, ut sit sensus; Humiliationem subsecuta fuit exaltatio, interprete ipso Christo Luc. XXIV. 26. B. D. Mentzer. T. II. Op. p. 48. seqq. (3.) Observant nonnulli, quid h. l. non extet particula διὸ cum accusativo, sed διὰ, quare, quamobrem, dicentes: Si in textu extaret διὰ τὸ πνεῦμα propter hoc ipsum, Antagonistæ forsitan invenirent, in quo fortius pedem figere possent. D. Gerhard. in Exeg. p. m. 535. D. Krom. Theol. Polém. p. 289. D. Brochm. T. I. Syst. p. m. 992.

## §. LVII.

Obj. X. Cernimus Jesum διὰ τὸ πνεῦμα θάρστα per passionem mortis gloria & honore coronatum Ebr. II. 9. R. (1.) Gagnau in Scholiis ad h. l. sequitur expositionem Veterum, Oecum. Athanas. &c. qui ipsam crucis mortem intelligunt per gloriam & honorem, ac contextum ita distinguit, ut non passionem mortis legat, sed mortis gloriâ & honore. D. Gerhard. Confess. Cath.

*Cath. T. II. p. 374.* (2.) Quidam hæc verba, *Δαὶ τὸ πάθημα θά-*  
*ράτε*, non ad subsequens verbum, coronatum, sed antecedens,  
*humiliatum, diminutum, volunt referenda*: ut sensus sit. Cer-  
*nimus Iesum per mortis passionem humiliatum, gloriā & hono-*  
*re coronatum.* (3.) licet ad posterius referatur, quod rectius fie-  
*ri autumat D. Gerb. Comment. in b. l. p. 32.* ostendunt tamen pa-  
*rallela loca, describi ordinem divinitus constitutum, ut Christus*  
*per passionem & mortem intraverit gloriam suam Luc. XXIV.*  
*26. I. Petr. I. 11.* (4.) ne quis putet, per *δαὶ* cum accusativo me-  
*ritoriam hīc describi causam, notandum, Apostolum id, quod*  
*dixerat δαὶ τὸ πάθημα, exponere versu proximè sequenti 10. δαὶ*  
*πάθηματων.*

#### THÈSIS IV.

##### §. LVIII.

Christus ( $\alpha$ ) verè, & ( $\beta$ ) pro omnibus ac singulis homi-  
 nibus est mortuus, ut ( $\gamma$ ) omnes Deo reconciliaret.

( $\alpha$ ) Quia mortificatus & vivificatus à S. Petro dicitur.  
 Quām verè verè est mortificatus & vivificatus, tām verè est mor-  
 tuus. Nisi mors Christi vera fuisset, nec vera ejusdem mortifi-  
 catio ac vivificatio locum habuissent. Utī veram mortificatio-  
 nem vera comitatur vel sequitur mors, ita & hæc præcedit veram  
 vivificationem. Negatā verā Christi morte, negatur quoque  
 vera nostri Redemptio. Verè Christus est mortuus, solitā phý-  
 sicā animæ & corporis in ipso Unione, & salvā tamen interim ma-  
 nente personali Divinæ &  $\Delta\gamma\pi\alpha$  & assumtæ humanae naturæ U-  
 nione, vi cuius etiam in ipsa Filii Dei  $\tau\omega\sigma\alpha\tau\epsilon$  anima & corpus  
 indissolubiliter unita permanserunt. Mansit Christus mortis  
 tempore  $\theta\alpha\pi\vartheta\omega\pi\Theta$ , ac non interiit in morte, *Dn. D. Calov. T. VII. L. L. p. 662. seq.* Et si mortuus est ut Homo, & sancta ejus ani-  
 ma ab incontaminato divisa est corpore, Deitas tamen à neutro,  
 hoc est, nec ab anima, nec à corpore quoquo modo se juncta est,  
 neque propterea una persona in duas personas divisa est, siquidem  
 & corpus & anima secundum idem ab initio in Verbi persona  
 eodem momento extiterunt, ac licet in morte divisa fuerint,  
 utrumque tamen eorum unam Verbi hypostasin perpetuò ha-  
 buit,

D 3

buit. Quare una Verbi hypostasis & Verbi, & animæ & corporis fuit hypostasis; Nunquam enim neque anima neque corpus propriam habuere hypostasin, præter eam, quæ Verbi est hypostasis: Una enim semper Verbi hypostasis & nunquam duas, quare una semper Christi hypostasis. Quo fit, ut etsi localiter corpus ab anima separabatur, hypostaticè tamen per Verbum uniebatur. *Damascen. l. 3. de Orthodox. fid. cap. 27. D. Gerb. Harm. Evang. T. II. p. 2031.* Mors Christinon est humanæ naturæ veritati, sed ipsius vitæ physicæ proprietati opponenda. *Excellentiss. Dn. D. Rudrauff. in Philos. Restrict. & Constr. p. 74.* (8) Omnes enim & singuli homines se injustos ( pro quibus Christus passus est & mortuus ) esse confiteantur. Quamvis etiam hic Apostolus incredulos & nequissimos injustorum nomine intelligeret, attamen invenimus quod volumus. Si pro impiis ac infidelibus, quanto magis pro credentibus & piis est mortuus. Pro his mortuum esse, extra controversiam est positum. Pro omnibus est mortuus II. Cor. V. 14. 15. pro omnibus semetipsum ἀνίλυτος dedit I. Tim. II. 6. Pro omnibus mortem gustavit. Hebr. II. 9. (γ) ἵνα ἡμᾶς απερρίψῃ τῷ Θεῷ. Pecccata à Deo nos separarunt El. LIX. 2. at Christus pro iis satisfaciendo & semetipsum tradendo Gal. II. 20. Ephes. V. 2. Hebr. IX. 14. Deum nobis & nos Deo reconciliavit. Elegantissima Theologorum Saxo - Vinariensium est periphrasis. Aliff daß Er uns Gott opferte ( uns mit Gott durch das Opfer seines Leibes versöhnete/ und als der Mittler uns zu ihm brachte. Joh. XIV. (6.) Quò faciunt verba Pauli Rom. V. 10. reconciliari sumus Deo per mortem Filii ejus & II. Cor. V. 19. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.

## §. LIX.

Quæstionem à Scholasticis motam, & à D. Meissner vexatis annumeratam: An Christus in morte verus fuerit homo? nostram facere nolumus, intra S. Scripturæ limites consistentes, & piè reminiscentes, quòd à talibus abstinere quæstionibus præstet, quam̄ easdem tricosius movere. Μὴ τοῦ φρονεῖν παρ' ὁ δὲ φρονεῖν. αὐτὸς φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. docet D. Paulus Roman. XII. 3. & quæstiones nil nisi lites generantes devitandas

vult

vult II. Tim. II. 23. Insolentissimum sese prodit *Guilielmu<sup>m</sup> Tuvif-  
fus Anglo - Britannus D.* dum in suis *Animadv. ad Corvini De-  
fens. Armin. contra Tilenum pag. 325.* appellat insolentissimum  
dogma : Christum pro omnibus esse mortuum. Et in *Vindiciis  
Gratia, Poteſt. ac Provid. Deip. 618.* sic differit. Christum pro omni-  
bus esse mortuum, minimè negamus, at pro omnibus & singulis  
mortuum esse, sine singulari absurditate, & manifesta Scripturæ  
contradicitione, dici non posse judicamus. *Henricus Altingius in  
Exeges. Aug. Confess. p. 15.* calumpnioso pro calumnia habet hanc  
*B. D. Mentzeri assertionem in Exeg. Aug. Confess. p. 112. seq.*  
Christum non pro peccatis totius mundi, sive omnium homi-  
num, quales in hunc mundum nascuntur, sed pro folorum ele-  
ctorum peccatis esse mortuum &c. Communis est Calvinistarum  
doctrina. Et nihilominus fatetur in proximè sequentibus : Quod  
Reformati non doceant, pro omnibus & singulis esse mortuum,  
& Deum Filium suum pro omnibus & singulis hominibus in  
mortem tradidisse, sed pro omnibus electis & credentibus. Quæ  
num non sint contradictiones : quilibet sincerè judicet. *Johannes  
Camer<sup>o</sup> Scoto - Britannus Theol.* vult : Scripturam affirmare &  
negare, Christum mortuum esse pro omnibus, sicque utrumque  
verum esse. In *Epist. ad Hebr. C. II. p. m. 389. in Soromenis. Impie  
Sociniani negant*, cum Filiu<sup>m</sup> Dei in morte mansisse, tūm nobis  
per Christum esse reconciliatum. *Socin. disp. cum Fr. Dav. Cap.  
XVI. part. 2. p. 134. Smalc. Refut. Monstr. Nov. Arian. c. XII. pag.  
109. & de divin. Ch. c. XII.*

## §. LX.

Obj. I. Scriptura apertè docet, Christum non esse mor-  
tuum pro omnibus & singulis E. negat contrarium, quod ni-  
mirum pro omnibus & singulis sit mortuus. Dicta sunt Matth.  
XX. 28. Filius hominis non venit ut sibi ministretur, sed ut mini-  
stret, detque animam suam in redēctionis pretium pro multis.  
XXVI. 28. Hoc est sanguis N. T. qui pro multis effunditur in re-  
missionem peccatorum. Joh. X. 15. Animam meam depono pro  
ovibus &c. v. 26. vos non estis ex ovibus meis. XI. 51. 52. Pro-  
phetavit fore, ut Jesus moreretur pro gente ( vid. Iudæorum )  
nec tantum pro ea gente, sed ut etiam filios Dei dispersos con-  
grega-

35.

35.

34.

32.

gregaret in unum Act. XX. 28. Ecclesiam suo proprio sanguine acquisivit Rom. VIII. 33. Quis intentabit crimina aduersus electos Dei, Deus est is qui justificat, Christus est is qui mortuus est. Hebr. IX. 28. Christus est semel oblatus, ut tolleret multorum peccata. X. 14. Unicā oblatione consummavit in perpetuum eos, qui sanctificantur. R. (1.) Vox multi formaliter negat paucitatem, & infert particularitatem cum excessu ultra dimidium. Materialiter autem sumta nunc universaliter nunc particulariter potest exponi. (2.) Matth. XX. 28. XXVI. 28. Hebr. IX. Universaliter accipitur & totam hominum multitudinem significat, confer II. Cor. V. 15. I. Tim II. 6. 1. Joh. II. 2. Scendum, vocabulum πολὺ multi, græca consuetudine, significare totam multitudinem & omnes, in Novo Testamento. D. Chemn. in Harm. Evang. Cap. CXXXV. pag. m. 1399. A σύνεγκειτο igitur Christus peccata multorum, hoc est, omnium hominum, quando ea humeris suis per imputationem divinam impositae, in ara crucis fustulit, pro eis Patris satisfecit, eaque expiavit, sunt verba B. Dn. D. Hannekenii Disp. II. de justif. p. 17. D. Schmidt in Colleg. Bibl. Post. putamus, inquit, πολὺ multis Matth. XX. 28. sumi substantivē, ut non resolvendum sit in syncategorema seu signum quantitatis, sed in Categorema h.m. Pro multis, h. e. pro hominibus qui multi sunt, vel pro hominibus, licet sint multi seu ingens multitudo, vel quantumcunque etiam eorum fuerit numerus &c. p. 78. 79. (3.) Calvinus in C. XVI. ad verba Christi, qui multis effunditur: Cæterū sub multotum nomine non partem mundi tantum designat, sed totum humanum genus. Multos enim uni opponit, ac si diceret, se non unius hominis fore Redemptorem, sed mortem obire, ut multos à reatu maledictionis liberet. (4.) Unius positio non statim est alterius exclusio. Ad aquatum passionis & mortis Christi objectum sunt omnes homines, principale sunt oves & electi juxta. I. Tim. IV. 10. D. Kromayer. Theol. Polém. p. 376. (5.) Verba Caiphæ Joh. XI. 51. 52. duplicem habent sensum. Unus est ipsius Caiphæ, expedire sc. ut Jesus occidatur, quod genti Judaicæ sua continet tranquillitas. Alter vero Spiritus Sancti, expedire sc. unum Christum mori pro populo totius mundi salvando, ne tota gens huma-

humani generis æternā morte pereat. Et hujus respectu Caiphas,  
Spiritu S. linguam ejus dirigente, inscius præter intentionem suam  
prophetavit. *D. Hunnius in h. l. p. 293. sq.* Cæterū, quia ex alle-  
gatione sententiae à Cajapha prolatæ, quod Christus moriturus  
esset pro gente, videri poterat, quod Christus tantum pro Judaici  
populi peccatis mortem subiit us esset, sicut etiam huic populo  
peculiariter erat promissus, idèo Evangelista per extensionem sub-  
jicit. Et non tantum pro gente (Judaicâ) sed & ut filios Dei, qui  
erant dispersi, congregaret in unum : Quæ verba de toto voca-  
torum cœtu accipimus, qui dicuntur Filii Dei tūm συνενδοχηῶς,  
quia in illo vocatorum cœtu semper sunt aliqui verè in Christum  
credentes, veri Dei Filii & ad æternam salutem electi, tūm  
σιομήνως, quia iudicio charitatis omnes pro Filiis Dei & electis ha-  
bentur, dummodo per manifestâ apostasiam & notoria delicta se-  
se ab hoc cœtu non segregen'. *D. Gerh. Harm. Evang. Cap. CXLI.*  
*T. II. p. 11. 12.* Quæ nobis prosunt, non obsunt. (6) Nominе  
Ecclesiæ Act. XX. 28. notatur cœtus hominum per Evangelium  
ad Christi agnitionem vocatorum, & non intelliguntur soli electi,  
cūm illi cœtu multi hypocritæ & non sancti sint admixti, quare  
etiam non nisi pueriliter infertur pro solis electis, & non pro  
omnibus hominibus Christum esse mortuum Vid. *T. V. Gieff.*  
*p. 200. sq.* (7) Idem male colligitur ex Rom. IIX. 33. nam quæ  
consequentia? pro Electis mortuus est E. non pro omnibus ho-  
minibus. Vel non omnes dicere possunt, quis condemnet E. Chri-  
stus non est pro omnibus mortuus. (8) Hebr. X. 14. ἀγίαζωμένως  
non tantum electos notat, sed quotquot per Spiritum S. regeneran-  
tur & ad Dei imaginem renovantur, vel omnes omnium tempo-  
rum credentes, quotquot unquam vixerunt, vivunt ac viçturi  
sunt. Unde adducta loca omnia nihil contra nos probant.

## §. LX.

Obj. II. Ad quos non redeunt beneficia mortis Christi, ad eos  
quoque ejus mors non pertinet. Atqui beneficia mortis Christi  
ad omnes ac singulos non redeunt, sed tantum ad omnes electos  
& credentes. E. r. (1) majorem sic absolute conceptam negan-  
do, cūm non sit quæstio de actuali beneficiorum collatione, ho-  
rumque salutari applicatione, sed divina conferendi intentione

E

&amp;

36.

35.

34.

32.

& meritoria acquisitione. Limitetur itaque (2) major h. m. Ad quos, ex meritoriae acquisitionis & divinæ intentionis defectu, non redeunt beneficia mortis Christi, ad eos quoque ejus mors non pertinet. Subque hac limitatione negetur minor. Omnibus enim & singulis hominibus salutem, remissionem peccatorum &c. Christus efficaciter acquisivit & conferre serio intendit, unde etiam in Evangelii verbo omnib⁹ offeruntur, annunciantur: Quod autem non omnes illorum beneficiorum fiant participes, sed tantum credentes, ejus causa in propria hominum culpa haeret, quia non omnes credunt, neque vera fide illa Dominicæ mortis beneficia in Evangelio oblata amplectuntur, sibiique applicant.

## §. LXI.

Obj. III. Pro quibus Christus se se obtulit, pro iisdem se se oblaturus oravit. Atqui non oravit pro omnibus in universum hominibus. Joh. XVII. 9. E. 12. (1) Wolfgang. Musculus in h. l. sic commentatur. Poterit hic queri, quomodo se pro mundo non orare dixerit, cum pro omnibus esset moriturus, & pro totius mundi peccatis propiciatio futurus. Sed paucis responderi potest. Mortuus quidem est pro omnibus, & propiciatio est pro peccatis totius mundi: verum ea gratia, non recipitur nisi ab electis, à reprobis respuitur. Sicut ergo non sunt propiciacionis hujus capaces, qui illam per incredulitatem respunt: sic etiam orationis Christi participes esse non possunt, qui mundo huic, non regno Christi adhaerent. Vid. ejus *Commentarios in Evang. Iohannis p. 608.* (2) Nonnulli mundi nomine intelligunt ceteros homines omnes præter Apostolos: Quorum sententia stante, manifestum est, nec ipsis Adversarii negare possunt, Objectioni huic vim inesse nullam. (3) Distingu. inter orationem vel intercessionem Christi generalem & specialem, nec non inter ejus officium Sacerdotale & Propheticum. Illam ut Sacerdos pro transgressoribus fudit omnibus Es. LIII. 13. Luc. XXIII. 34. Hanc ut Propheta, l. omnes credentes, vel solos Apostolos suos Patri commendans. *Aretius in h. l.* Speciales hæ preces ad Apostolos solùm pertinent, aliás pro amicis, pro inimicis, pro hostiis, aliisque omnibus orat Filius Dei. (4) distingu. finem orationis. Non orat pro mundo ratione successus in persecundis electis. Orat pro mundo ut resipiscat & salutem actu consequatur.

tur. *Megalander Lutherus* in h. l. tom. 5. Witteberg. p. 198. Verum esse videmus, quod ( Christus ) pariter pro mundo roget & non roget, hoc autem inest discriminis. Non rogat pro mundo hoc modo, quo pro suis Christianis rogando utitur. Pro Christianis ita rogar, ut penes rectam fidem maneant, inque ea proficiant ac pergant, neque ab ea desciscant, pro convertendis orat, ut reliqua priori vita ad fidem accedant. (5) His verbis Christi: non pro mundo rogo: Justissima ingratitudinis & contemptus poena explicatur, quo mundus Christum & Evangelium ipsius solet excipere. *D. Hunnius* in h. l. p. 384. *D. Gerb. Harm. Evang.* Cap. CLXXX. T. II. p. 1662. sq.

## §. LXII.

Obj. IV. Si pro omnibus & singulis Christus est mortuus, & pro iis mortuus est, qui jam tum erant in inferis, ut Esau, Saul, Achitophel, & pro eis quoque quos venturos eò certò sciebat. Atqui non pro iis, qui jam tum erant in inferis, quia nulla ex inferis liberatio est. *Luc. XVI.* neque etiam pro iis, quos venturos eò certò sciebat, quia omnium damnandorum eadem est conditio, exceptis paucarum gradibus, qui dispare. E. non est mortuus pro omnibus & singulis. & (1) distingu. inter mortis actum & valorem seu pretium. Ille finitus, hic infinitus, supra & extra quævis tempora positus est, adeoque ab æterno & in æternum viget, ad omnia quoque loca & omnes omnino homines se extendit, ut rectè *Veteres* dixerint: Meritum Christi se extendere & valere antrorsum & retrosum: Sicut igitur, secundum *Bernhardi* dictum profuit antequam fuit, ita quoque contemptus ejus obfuit antequam fuit. (2) Pro iis etiam Christum esse mortuum, qui peribunt, diserta S. Scripturæ assertio est. *Rom. XIV. 15. I. Cor. IX. 11. II. Petr. II. 1.* vide etiam *Hebr. VI. 4. 5. 6. X. 29.* Quare dici potest, pro damnatis & damnandis Christum esse mortuum, sed non quā talibus. *B. D. Mentzer. T. II. Oper. pag. 579.*

## §. LXIII.

Obj. V. Christus quidem nos Deo reconciliavit secundum scripturam, nuspia autem in Scripturis perhibetur, quod Deus nobis reconciliatus sit per Christum. & (1) Friyolum hoc est,

est, quia, si nos Deo reconciliamur, & necessariō Deus nobis reconciliatur, ac proīnde reseadē rēdit, sive Christum nos Deo, sive Deum nobis reconciliāsse, afferamus, mutua enim inimicitia, quæ inter Deum & homines erat, per reconciliationem illam sublata est. Quod autem (2) Deo potius nos reconciliari dicamur, quam Deus nobis, istius ratio subest hæcce: Deum esse offendam partem & homines offendentes, Offendens verò alterum, alteri offenso reconciliari dicitur Matth. V. 23. I Cor. VII. 11. Cūm itaque nos Deum peccatis nostris offenderimus, iramque ejus provocaverimus, hinc & Christus per mortem suam nos Deo reconciliāsse dicitur. *Dn. D. Calov. Theol. Apost. p. 165. Walanus T. I. p. 402.*

### THEISIS V.

#### §. LXIV.

Christus semetipsum propriā Virtute resuscitavit.

Vivificatus est Spiritu ex l. n. Spiritus autem notat suam Deitatem vel divinam vivificandi virtutem, quam ut Deus cum Patre & Spiritu S. essentialiter communem, ut Homo verò sibi hypostaticè communicatam habet. Unde relinquitur, quod Christus scipsum suā virtute resuscitārit, & quidem secundum divinam & humanam naturam. Quod etiam constat ex Joh. II. 18. 19. V. 19. 21. X. 18. 19. Rom. I. 4. &c. B. D. Mentz. T. I. Op. p. 424. T. II. p. 281.

#### §. LXV.

*Photiniani, Sociniani & Calviniani* negant thesin, illi quoad divinitatem, hi secundum humanitatem. Vid. *Socin. disput. cum Er. Job. p. 117. & Anti-Entropius p. III. Smalc. resp. ad Nov. Monstr. p. 190. de divin. Chr. Cap. 13. p. 84. in Catech. C. II. de off. Chr. p. 312. Polan. l. 6. Syntagm. C. 23. Buc. in L. C. I. 26. 44. Colloq. Mompelg. p. 277.*

#### §. LXVI.

Obj. I. Qui virtute alienā resuscitatus fuit à mortuis, is propriā virtute semetipsum non resuscitavit. Atqui Christus virtute alienā sc: Dei Patris est resuscitatus à mortuis. E. R. (1) malè virtus Patris dicitur aliena, cūm absolute considerata Filio

fit

fit communis Joh. V. 19. X. 17. 18. 30. (2) Resuscitatio Christi sicut est opus Dei ad extra, adeoque indivisum & commune, ita quoque tribuitur in Sacris, cùm toti Trinitati, tūm Deo Patri & Filio significatione. Toti Trinitati Vel generatim Deo adscribitur Act. II. 24. sq. III. 15. V. 30. X. 40. XIII. 30. 37. Col. II. 12. Deo Patri Gal. I. 1. Eph. I. 20. 1. Thess. I. 10. Filio Joh. II. 19. X. 18, &c: Deus Pater igitur excitavit Filium, sed non exclusivè. Christus & à Patre & à seipso est resuscitatus. (3) peculiaris quædam subest ratio, cur resuscitatio illa Deo Patri toties in Scriptura tribuatur: ut indicetur, Deum Patrem, cuius irâ Christus vel Filius Dei propter nostra ei imposita peccata, in dolorosissimam & ignominiosissimam traditus erat mortem, hâc obedientissimâ & satisfactoriâ morte pleniflîmè placatum, nobisque reconciliatum esse. Si in morte mansisset, ira Dei aversa non esset. Rom. IV. ult. Col. I. 20. I. Cor. XV. 17.

## §. LXVII.

Obj. II. Christum resuscitationem sui ardentibus precibus à Patre efflagitasse. Hebr. V. 7. R. (1) Christus potuit Lazarum excitare, & nihilominus potentiam excitandi per preces Patri acceptam retulit Jo h. XI. 42. (2) sermo hîc est de Christo quâ homine in extremo exinanitionis gradu constituto; Quâ homo autem semetipsum non resuscitavit per suæ Carnis potentiam, vel virtute aliquâ & vitâ humanâ, quippe quæ tota aberat & prostrata jacebat, Sed resuscitatus est à Deo aut divinâ virtute sibi ut Homini verè ac personaliter Communicata. D. Gerh. T. IIX. L. L. p. m. 804.

## §. LXVIII.

Obj. III. Christus ipse affirmat: Filium à seipso nihil posse facere Joh. V. 19. E. nec à seipso vel suâ vi ac potestate corpus suum resuscitare potuit. R. (1) à negatione aseitatis ad negationem æqualitatis non V. C. Negatio aseitatis arguit tantum l. c. potentiae inseparabilitatem, hoc sensu, non potest Filius face-re à se i. e. seorsim à Parre aliquid, quia quæcumque Pater facit, Filius ὅμοιως facit. In qua interpretatione concedimus: Christum non à seipso corpus suum resuscitasse. At hinc minimè aliquis inferre potest. E. suâ vi non resuscitavit. (2) Christus à sei-

psō ut ἐτέρος τῷ corpus suum non resuscitavit, sed à seipso ut ὁμοσ-  
τιῷ cum Patre, ipsam divinam habente virtutem, & ut θεαυτός,  
habente illam divinam virtutem secundum humanam naturam  
sibi communicatam. B. D. Haberk. in spec. Disp. de Resurr.  
Chr. p. 26.

## §. LXIX.

Obj. IV. Joh. II. 19. Verbum *εὐείγειν* non modō suscitare,  
sed & erigere significat, quare sensus sit: Quod Christus, dum  
eum Deus à mortuis resuscitavit, corpus suum exerit. & der  
*Pl. Veneranda Theolog. Fac. Wittenberg. in Confut. Catech. Raccov.*  
*p. 566. seq.* Heist das nicht unsers lieben Herrn Christi und sei-  
ner Wort spotten. Er hatte neulich Käufer und Verkäufer  
aus dem Tempel zu Jerusalem getrieben / daß sich alle für ihm  
fürchten musten. Und wiewol das ein herrlich Zeichen seiner  
allmächtigen Kraft/ der alle Menschen unterthan seyn müssen/  
gewesen/ so habens doch die Juden verachtet/ und ein ander Zei-  
chen von ihm begehret/ daraus sie abnehmen möchten / daß er  
es aus göttlicher Kraft und Befehl thue. Drumb sagen sie zu  
ihm/ was zeigest du uns vor ein Zeichen / daß du solches thun  
mögest? Der Herr wies sie auf seine Auferstehung von den  
Todten/ gleichwie er in gleichem Fall Matth. XII. 40. auch ge-  
than/ in welcher sie sein Kraft und Gewalt erst recht erkennen  
werden/ wann er den zerbrochenen Tempel seines Leibes wieder  
aufrichten würde. Was wäre nun aber das für ein Zeichen/  
wann ein tod Mensch/ den ein ander etwa auflgewecket/ sich im  
Grabe aufrichtet/ wie etwa der Wittwen Sohn zu Main/oder  
des Jairi Töchterlein gethan. Derowegen ist's nicht nöthig/  
daß wir das griechische Wort im teutschen geben/ erwecken/  
sondern man bleibe bei Herrn Lutheri version, da Christus sei-  
ne Auferstehung ein Aufrichten seines Leibes heisset/ gleichwie  
den Tod desselben eine Zerbrechung genennet.

## §. LXX.

Obj. V. Der Worten Christi Joh. X. 17. ihr Verstand  
ist: Wie es nicht an eurem Willen gelegen/ mich zu tödten/  
sondern an dem Willen des Vatters/ also ist's auch nicht an eu-  
rem Willen gelegen/ daß ich im Tode bleibe/ sondern das ist der  
Wille

Wille des Vatters / daß nachdem ich mein Leben gelassen / ich zur Auferstehung der Todten komme / und von meinem Vatter das ewige Leben empfange. *Ex der Facult. Theol. Witteb. l. c.* p. 570 seq. Wer wollt doch diese Meinung der Wort Christi errathen / wann ihm einer nicht vorgesetzt hätte den Sonnen-Flaren Worten Christi zu widersprechen? Der Herr Christus redet ja nicht von dem Willen des Vatters / nach welchem er gestorben / sondern von der Macht die er habe / von sich selber seinen Geist aufzugeben / nicht wenn es seinen Feinden / sondern wann es ihm gefällt. Also redet er auch von der Macht / die er hat / wieder von den Todten aufzustehen / wenn es ihm gefällt. Und von wegen dieser Macht spricht S. Petrus / es sey unmöglich / daß er hab vom Todt können gehalten werden Act. II. 24. Dierweil nemlich die göttliche Kraft / so das Leben selber ist / in diesem getöteten Jesu warhaftig war.

## §. LXXI.

Obj. VI. Si Humanitas Christi seipsum exsuscitasset seu ad resurrectionem suam cooperata fuisset, Paulus minimè diceret: Christum per resurrectionem ex mortuis potenter esse declaratum Filium Dei secundum Spiritum Sanctificationis Rom. I. 4. *Ex. negando consequentiam.* Cùm enim Christus ut Homo seipsum resuscitavit, non humanā & creatā virtute, sed per Deitatis suae potentiam sibi verē communicatam, recte proin ait Paulus: Christum per resurrectionem se potenter Filium Dei demonstrasse. Ethinc etiam dicimus. Is, qui corpus suum propriā virtute & ex se à mortuis suscitat, est verus Deus & verus Homo in Una persona, quia mortuorum resuscitatio soli Deo competit.

## THEISIS VI.

## §. LXXII.

(α) Totus Christus (β) verē descendit ad inferos, ut (γ) de dæmonibus triumphum ageret, & incredulos jure damnatos esse convinceret.

(α) Totus Christus, Deus & Homo, Dei & Mariæ Filius, tota Persona, minimè soluta, non tantum quoad animam, sed etiam

etiam secundum corpus (quod æquè ut illam persona &  $\Delta\circ\gamma\circ$  in  
sui complexum inseparabiliter & indistincter univit) ad inferos de-  
scendit, quia in loco nostro & carnis seu Humanitatis, & Spiritu-  
tus sive Deitatis, ex quibus totalitas vel integritas personæ perfic-  
tur, expressa fit mentio. Ut mors personale unionis vinculum  
non disruptit, ita nec infernus idem disruptere potuit. Ut natu-  
ras non distractit cœli sublimitas, ita nec easdem divulgit inferni  
profunditas. Simpliciter credimus, quod tota persona, Deus &  
*Homo*, post sepulturam ad inferos descenderit, respondet Declara-  
tio Form. Conc. p. 788. ad questionem, num anima tantum, an divi-  
nitatem solâ, an verò anima & corpore descenderit? Si Sola anima  
sine corpore descenderit ad inferos, sola illa triumphavit de in-  
ferno, quod dictu absurdum & impium est, B. Dn. D. Misler.  
Disp. VIII. in Form. Conc. Controv. IV. p. 173. (3) verè ac rea-  
liter descendit ad inferos, quoniam Christus, post  $\zeta\omega\omega\delta\omega\sigma\tau\omega$   
ejus  $\vartheta\alpha\vartheta\omega\tau\omega$  inexcusatam, adeoque anima & corpore, propriè  
profectus est ad infernum, vel Spiritus in illo detentos: Sicque  
non loquimur de descensu Christi metaphorico, spirituali vel  
passionis, de quo Th. II. sed vero, reali, proprio, corporali (pro-  
ut vox hæc opponitur Spirituali. D. Chemnit. in Form. Concord.  
Disp. X. th. III.) vel triumphali, qui peculiarem Fidei articulum  
vel ejus partem constituit, atque ad exaltationis statum perti-  
net, nec non in Symbolis, Apostolico, Athanasiano, Augustanâ  
Confessione & libro Concordiæ docetur. In Ignatii interpo-  
lata (secundum Isaac Vossium) Epistola ad Trallianos p. m. 164.  
hæc verba de eo leguntur: Καὶ κατῆλθεν εἰς ἀδυν μόγον, ἀνῆλθε  
δὲ μὲν τῶν θεοῦ. Descendit enim in infernum solus, ascendit verò  
cum multitudine. (y) ut de dæmonibus triumphum ageret &c.  
Nam prædicavit Spiritibus, ubi τὸ ὄντεν ξένον non tantum verbale,  
sed reale præconium infert, quod non solum penes inferos verbis  
factum, sed etiam ipso opere Victorem triumphantem demon-  
stravit, sicut Ambrosius, Cyrus & Athanasius explicant. D.  
Chemnit. l.c. th. VII. D. Affelmann. in Disp. de Descens. Chr. ad  
inferos. D. Caspar. à Lilien in Summ. Theol. pag. 160. seq. adde  
Hof. XIII. 14. I Cor. XV. 54.

§. LXXIII.

Rejicimus sententiam I. *Calvinianorum*, quorum quidam  
 (a) Christi descensum ad inferos pro peculiari Christianæ reli-  
 gionis articulo habendum negant, ut *Calv. l.2. Inst. c. 16. Polan.*  
*l.6. Syntagm. c. 21.* (b) alii eundem de morte, cum *Zwinglio*,  
 alii de sepultura cum *Bucero*, *Beza*, *Piscat.* alii de morte & sepul-  
 tura simul cum *Bullingerio*, alii de statu, in quo Christus à tempo-  
 re sepulturæ usque ad resurrectionem fuit, cum *Parkero*, *Amesio*,  
 alii de toto humiliationis statu cum *Sohnio*, accipiunt. (c) De  
 horrendis animæ cruciatibus explicant *Keckermannus*, *Fr. Junius*,  
*Lavatherus*, *Catechism. Heidelbergensis.* Vid. *Dn. D. Calov.*  
*T. VII. LL. p. 686 Job. Croc. Anti-Bec. T. I. p. 637.* (d) Sunt,  
 qui asserunt, Christum non naturæ humanæ substantiâ, sed pa-  
 ssionis efficaciâ ad inferos descendisse. II. *Pontificiorum*, collo-  
 cantium (a) corpus Christi in sepulchro & animam interea in in-  
 ferno. (b) dicentium infernum in terræ centro, inque illo di-  
 stinctas sedes & cameras esse. (c) tradentium, Christum descen-  
 disse ad inferos, ut inde animas defunctorum Patriarcharum sub  
 V. T. fidelium ex limbo educeret, ubi ante ejus adventum conti-  
 nebantur. III. *Socianorum* dogmatizantium, quod descensus  
 Christi ad inferos nihil aliud significet, quam statum Christi post  
 mortem, qui ~~dem~~ cum aliorum mortuorum statu fuerit. IV.  
*Calixtinorum*, quoad hunc articulum cum Calvinianis & Soci-  
 nianis conspirantium. *D. Calov. in Harm. Calixt. Heret. p. 47.*  
*seqq.* & 1008.

## §. LXXIV.

Obj. I. Synodum Nicenam & alias ne verbulo mēminisse  
 descensus Christi ad inferos. Et Irenæum, Origenem, Tertul-  
 lianum, Augustinum, sicco pede præterisse hunc articulum.  
 Rz. (1.) In prisca Ecclesia non tam de Articuli hujus veritate,  
 quam genuino ejus usu disputatum est. Quis nisi infidelis nega-  
 verit, apud inferos fuisse Christum, inquit *Augustinus T. II.*  
*Epist. 99. p. 165.* (2.) Quod *Nicena Synodus* mentionem hujus  
 articuli fecerit nullam, id procul dubio propterea factum, quia  
 in disputationem nunquam venerat, ejusque Concilii scopus erat,  
 non tam reliqua Religionis Christianæ Capita prolixè explicare,

F

quam

quam Christum Patri ομοόσιον afferere. (3.) Etiam si Nicenum *Symbolum* de Christi descensu nihil cogitaveris, eundem tamen Athanasius expressit in suo symbolo, quod in *Alexandrina Synodo* anno Christi 371, approbatum, & à Catholica Ecclesia receptum est. (4.) Patres quod attinet, *Irenaeus in fine sui adversus haereses operis* peculiariter capite eum ipsum articulum tractat, eosque qui Christum ad inferos descendisse inficiati sunt, gravissime refutat, haereseos damnans. *Origenes Homil. 5. super Genes.* & aliibi. *Tertullianus I. de anima c. 31.* de descensu Christi ad inferos adeò non dubitant, ut in Pontificiorum sententia Pontificiis videantur. *Augustinus item serm. 31.* in explicatione Symboli de descensu Christi quoque verba facit, illumque articulum *serm. 115.* Apostolo Thomae adscribit, & in pluribus aliis locis. *D. Gesner. Disp. XIV. pro L. Conc. p. 463. D. Brochm. T. I. System. p. 916.*

§. LXXV.

Obj. II. Evangelistæ, qui minimas historiæ Christi circumstantias attigerunt, prorsus non meminerunt descensus Christi ad inferos, sed sepulturæ resurrectionem immediate subjunxerunt. *R. (1.) Secundum eos, qui volunt Christum prædictissime suum descensum, ubi de typo Jonæ à ceto absorpti loquuntur Matth. XII. 4. XVI. 2. Luc. XI. 29.* Inuria fit Evangelistis, quod descensum Christi silentio præterierint. (2.) Ratio, cur Evangelistæ prætermiserint, est, quia ejus nec ἀνταπέδωσα fuerant, nec veritatem ex aliorum oculatorum & fide dignorum testimoniū relatione percepérant. *D. Gerb. in Harm. Evang. Cap. CCVII. p. m. 2077.* (3.) dicant Adversarii, annon sufficiat, descensum Christi ad inferos, ab aliis θεονυμίοις Scriptoribus traditum esse.

§. LXXVI.

Obj. III. Christum nec Deitate, quæ ubique fuit, nec corpore, quod in sepulchro fuit, nec anima quæ in Paradiso fuit *Luc. XXIII. 42.* in infernum descendisse. *R. (1.) Descensus Christi ad inferos non fuit physicus, localis, sed realis, supernaturalis, gloriosus ac triumphalis.* (2.) Descendit vivificatus & sic postquam vitæ restitutus fuit. Licet (3) anima etiam à corpore localiter separata fuerit tempore mortis, ut personaliter in Αώγῳ unita permanserit, nunc tamen vivificatus totus Christus ad inferos

feros

feros descendit. Quis enim negabit, cùm Christus jam vivificatus fuerit profectus, reunitam fuisse naturaliter animam corpori?

§. LXXVII.

Obj. IV. Christus nec descendit ad inferos ut victoriam ostentaret, siquidem resurrectio fuit initium triumphi & glorificationis Christi; nec ut ibi pateretur, siquidem in cruce dixit, consummatum est: nec ut Patres ē limbo liberaret, cum limbus ipse sit merum figmentum. R. (1.) Christus utique in infernum descendit, ut Diabolis & universis damnatis sese præsentem, tanquam victorem & triumphatorem, sisteret, Diabolo ac inferno ut victis insultaret Hos. XIII. 14. I. Cor. XV. 54. 55. (2.) distingue inter glorificationem Christi respectu hominum & respectu devictorum hostium factam. Quoad hos initium glorificationis Christi est descensus ad inferos; quoad illos resurreccio à morte. D. Gravv. in A. Conf. A. III. p. 157.

§. LXXIX.

Obj. V. Descensu ad inferos ubique in Scripturis significari gravissimas adversitates & exquisitissimos dolores; ut, quando aut Jacob descendendum sibi dicit cum luctu in infernum ad Filium Gen. XXXVII. 35. aut Job, adversitatum durissimarum multitudine turbatus, temere optat, ut in inferno occultetur Job. XIV. 13. R. (1.) à nudis & meris hominibus ad Christum θεὸν θρωτον non licet argumentari. Utut descensu ad inferos, quoties de aliis usurpatur hominibus, toties summa significetur angustia; is tamen gravissime fallit, quia Christi descensum extendit. (2.) distingue, inter descensum Christi metaphoricum & proprium, verum, realem, substantialem. De illo conceditur, de hoc negatur.

§. LXXIX.

Obj. VI. Gen. XV. 15. Tu ibis ad Patres tuos, Abrahami vero Patres, utpote Idololatræ, erant in inferno. E. & Abrahamus in limbum ire debebat. R. (1) Phrasis hæc: Tu ibis ad patres; non parem loci, sed mortis conditionem exprimit. Quare *Vatableus* illam exponit per morieris, & *Cornelius à Lapide* per defungeris morte placida, pacata, læta. (2.) Adam, Seth, Enoch, Noa & alii fuerunt quoque Patres Abrahæ, sed non Idololatræ.

Iatræ. (3.) Plus est in conclusione , quām fuit in præmissis.  
§. LXXX.

Obj. VII. Gen. XXXVII. 35. Descendam lugens ad filium meum in infernum. *R. (1.) nomine Ἡλίῳ locus tormenti, impiis post hanc vitam deputatus, hīc notari nequit. Verū (2.) vel sepulchrum vel fossam notat, sic exponentibus Lyrano, Angust. Steuchō, Pagnino & Ariā Montano, D. Gerh. Conf. Cath. T. II. pag. 327. seq. vel (3.) mortem sive statum & conditionem mortuorum in genere , confirmante hanc expositionem loco parallelo Gen. XLII. 38. XLIV. 29, 32. Descendere facietis canitiem meam Ἡλίῳ Canities autem ex Adversariorum hypothesi non descendit in limbum, sed anima duntaxat à corpore separata. Cui assentitur Emanuel Saa, hunc sensum tradens: Eritis mihi causa mortis , seu efficietis ut præmōrere moriar.*

## §. LXXXI.

Obj. VIII. Cum Samuel apparuit Sauli consilienti Pythonissam, ejus anima de terra ascendere visa est. E. ascendit ex limbo. *R. (1.) Spectrum fuisse non animam Samuels, res ipsa docet, & agnoscunt præter Veteres, Gregor. Nyssen. Basilium, Cyrill. Alexandr. Chrysosth. &c. Thomas, Gloss. Ordin. Angust. Steuchus, Johannes de Turre Crem. Cajetanus, Gratianus Causa XXVI. Quod autem Bellatminus afferat testimonium Syracidis C. XLVI. ubi afferitur. Samuelem proprieſasse post obitum. R. Liber ille Apocryphus est, & Author sequutus historiæ narrationem: Sicut igitur hæc de imaginario loquitur Samuele tanquam de vero, qualem esse, suo merito decepti Satyl & Pythonissa crediderunt; Ita & istum loqui, animadvertis Cornel. Jansen. in h. l. Sicque ea dicuntur ἰσοειδῆς & recitativē, non ἐξηγητῶς & assertivē. D. Calov. T. I. Syst. p. 345. seq. (2.) Lombardus Leg. 52. limbū Patrum ex suppositio Nicodemi Evangelio probare instituit. E. agnoscit, in Canoniceis Scripturis fundendum ejus dari nullum D. Gerhard. Conf. Cath. l. c. p. 323.*

## §. LXXXII.

Obj. IX. Animæ dictūntur in carcere fuisse I. Petr. III. 19. non ergo erant in cœlo, nam ridiculum est dicere, animas in cœlo tanquam in carcere inclusas fuisse, cùm cœlum sit Dei sedes.

*R. (1.)*

¶. (1.) *Andradinus* l. 2. *Defens. fid. Trident.* p. 121. negat, ex h. l. limbū Patrum elici posse. (2.) *Turrianus, Fevardentius, Tigrinus*, per φυλακὴν intelligunt purgatorium. (3.) *Mendoza in Controv. Theol.* q. 1. p. 73. nec limbū, nec purgatorium, sed ipsum intelligit infernum. (4.) Si limbū hic int̄ ligeretur, in illo tantūm pīt & fideles, ex *Pontificiorum* hypothēsi, fuissent, incredulos autem D. Petrus in isto detentos dicit. (5.) *Apostolus nullus meritinit liberationis vel educationis, verūm prædicationis.* *D. Gerb., Conf. Cath. T. II. p. 343. T. III. p. 467.*

## §. LXXXIII.

In stat (1.) *Bellarminus L. IV. de Christi anima C. XIII. §. secundo.* Spiritus, qui hīc distinguitur contra carnem, non videtur posse significare aliud, quām animam. ¶. (1.) falsissimum hoc est, quia hīc in Christo caro & Spiritus sibi opponuntur, ubi illa humanitatem, hic Deitatem significat. (2.) de Christo dicitur ζωοτοιχεῖς non de anima; nec (3.) de hac commodè dici potest ζωοτοιχεῖσα, quia nihil propriè vivificatur, nisi sit mortuum, nihilque vivum conservatur, nisi sit mortale.

## §. LXXXIV.

In stat (2.) Veniens prædicavit, si de anima intelligatur, propriè accipi poterit, at si de divinitate, non potest accipi, nisi impropriè. Præterea verbum in Græco est προφῆτες, quod paulò infra accipitur propriè. E. & hīc. ¶. (1.) negando, quod προφῆται propriè accepta soli animae comperat (2.) Christus θεάγεως tam verè & propriè profectus est ad prædicandum spiritibus in carcere, quām verè & propriè profectus est in cœlum v. 22.

## §. LXXXV.

In stat (3.) Prædicationem Christi in inferno non fuisse ad convētendos infideles, sed solum ad annunciationem gaudii magni pīs animabus inde liberandis. ¶. prius affirmatur, posterius negatur, sicque est probandum. Prædicavit Christus, proclamando suam victoriam, victorem se sisterendo, nec non justam condemnationem, απίσιμas damnatas animas arguendo & convincendo.

## §. LXXXVI.

In stat (4.) in Latina versione legi, qui in carcere erant.

F 3

¶. (1.)

¶. (1.) Hæc versio non est authentica , ac proinde non attendenda  
 (2.) *Anaradius l. c.* observatin Græco textu esse στιν existentibus,  
 non verò erant. Unde infert : Christum , qui jam dudum in  
 Spiritu adveneras , prædicasse Spiritibus illis , qui jam in inferno  
 pœnas suæ incredulitatis meritas luunt , quod justis Noæ arcam  
 ædificantis admonitionibus credere noluerint.

#### *Sectio IV. Practico-Ascerta.*

##### §. LXXXIX.

Quia Christus est passus , & nos patiamur. Et quidem  
 promisè , patienter & obsequiosè : Sic nobis præivit ac reliquit  
 exemplum ut ejus vestigia sequamur , I. Petr. II. 21. Nemo au-  
 tem patiatur quasi homicida , aut fur , aut maleficus , aut curiosus  
 alienarum rerum , sed ut Christianus I. Petr. IV. 15. 16. non ma-  
 lefacentes sed benefacientes , propter justitiam , bonam habentes  
 ac retinentes conscientiam , patiamur. Tùm enim beati sumus ,  
 nostrumque est regnum cœlorum Matth. V. 10. Hæc est gra-  
 tia apud Deum , si propter conscientiam tristitias sustinemus , in-  
 justè patientes. Exercitati saluberrimum accipiemus fructum  
 Hebr. XII. 11. Ubi multum crucis , ibi multum lucis. Ubi ab-  
 undant passiones Christi , ibi & consolationes ejusdem. Nostra  
 passio est passio Christi II. Cor. I. 5. 7. Sine afflictionibus nihil  
 valemus. B. D. Lutherus T. IV. lat. p. 4. Melius est , ut sive  
 divinis sive humanis justi subjaceamus verberibus , quam ab inju-  
 stitia in verberum adjustitiae studia trahamur. Melius est , esse  
 oves occisionis quam porcos voluptatis. Passiones nostræ non  
 sunt condignæ ad præteritam culpam , quæ remittitur , ad præ-  
 sentem consolationis gratiam , quæ immittitur , & ad futuram  
 gloriam , quæ promittitur. Bernh. de convers. c. 30. .

##### §. LXXXIX.

Christus pro peccatis justus pro injustis , est passus , pecca-  
 ta igitur detestemur & aversemur. Ipse innocens , quæ non ra-  
 puit , exsolvit. Ps. LXIX. 6. Ipse vulneratus est propter iniquitates  
 nostras , attritus propter scelera nostra Es: LIII. 6. Quantos la-  
 bores , dolores ac cruciatus animâ & corpore perpessus est ! ju-  
 dicemus hinc , quam abominanda res peccatum in Dei oculis sit ?

utpote

ut pote quod nec expiari potuit, nisi ipse Deus vel Dei Filius in tantam fese demisisset misericordiam, totque animae & corporis passiones nostras causas sustinuisset. Magis horrendum divinae irae adversus peccata exemplum, quam hoc ipsum extat nullum. Quis hoc pie considerans peccata sua non deploret ac mortificet, peccata non detestetur ac averetur, a peccatis non abstineat, sibi que caveat? Fugiamus ergo peccata, tanquam a facie colubri, si accesserimus ad illa, mordebunt nos, dentes leonis, dentes ejus interficientes animas hominum. Ecclesiast. XXI. 2. 3. Consolationem quoque capiamus exinde, quod Christus pro peccatis, justus pro injustis, sit passus. Disciplina pacis nostrae super eum, & labore ejus sanati sumus Es: LIII. 6. Qui peccatum non norit, pro nobis factus est peccatum, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso II. Cor. V. 21. Hoc est mysterium illud opulentum divinae gratiae in peccatores, quod admirabili commercio peccata nostra, jam non nostra, sed Christi sunt, & justitia Christi, non Christi, sed nostra sit. Exinanivit enim se illa, ut nos ea indueret & impleret, & replevit se nostris, ut exinaniret nos eisdem. Ita ut jam non modò objectivè (ut dicunt) sit nostra Christi justitia, sed & formaliter, sicut non tantum objectivè Christi sunt peccata nostra, sed & formaliter. Quomodo enim ille in nostris peccatis dolet & confunditur, hoc modo nos in illius justitiam lætamur & gloriamur. Megalander Lutherus T. II. Lat. f. 241. b.

## §. XC.

Christus est mortificatus Carne, mortem illius proinde, humano generi multis modis salutarem, devote nec non indefinenter, grati meditemur. Mors Christi est sacrificium pro peccatis nostris, mors mortis nostræ & confirmatio novi foederis. Mortem pro peccatis nobis debitam Christus in fese transstulit, offerendo semetipsum Deo pro nobis hostiam & sacrificium in odorem suavitatis. Eph. V. 2. Ideo Filius Dei factus est homo, & in humana natura sua mortem perpeccus est, ut, quia verus est Deus, passio & mors sua, æquivalens esset λύτρον, &, quia verus est Homo, ideo pro nobis fratribus præstari posset. Cùm mors nostra sit peccati pena, ideo mors Christi facta est pro peccato hostia,

hostia, *August. serm. 138. de temp.* Christus per mortem suam mortem vicit *Hof. XIII. 14. Hebr. II. 14.* eamque in æternum devoravit *El. XXV. 8. I. Cor. XV. 54.* Mortem Christus morte ipsâ mortisque viribus vicit, & de peccato peccatum damnavit, sicut & maledictum maledicto superavit, & potestatem nobis dedit, Diabolum, mundum, carnem, non nisi propriis eorum studiis vincendi, dum fide & patientiâ firmatos & invictos reddit, adversus omnem vim & astutiam eorum *B. Lutherus T. II. Lat. 120. a.* Morte Christi mors nostra est mortua. *Bernh. serm. 2. in nat. Dom.* Nomina mors retinet, facilis sunt cœtera somnus. Pro tantis Christi morte partis beneficiis gratos nos præstemus, illa beneficia nobis vera fide applicantes, &, spiritualiter peccatis mortui, non nobis ipsis sed illi, qui pro nobis ex immenso amore mortuus, viventes & obsequentes, juxta *Rom. VI. 4. II. Cor. V. 15. Gal. II. 20.*

## §. XC.

Christus est vivificatus Spiritu, quare de ejus victoria adversus suos & humani generis hostes, Dei reconciliatione, & nostra resuscitatione non dubitemus. Nisi Saranam, mortem, &c. vicisset, vivus ex pugna non rediisset. Quando Creditor sponsorem è carcere dimittit, id argumento est, quod ipsi plenè satisfactionum sit. Ethac de causa toties Scriptura afferit, Christum à Patre resuscitatum esse *A&t II. 24. III. 15.* &c. ut sciamus, Patrem ratam habere Filii satisfactionem, & propter eam humano generi placatum esse. In morte & resurrectione Christi ea conformatio denunciatur, quâ non major humano generi nunciari potest: scilicet commune omnium malum, mortem ita esse victimam, ita credentibus subjectam, ut ad vitam, quam videtur absorbere, cogatur plus cæteris ornatibus coöperari. Quis hîc non cantet? quis non cum Christo exultet? *B. D. Lutherus l. c. 26. a.* Sicut Christus non mansit in morte, sed vivificatus est, ita nec nos sub terræ pulvere mortuos delitescere patietur, sed ad vitam & gloriam resuscitabit. Vivo Ego & vos vivetis *Joh. XIV. 19.* Quod in ipso tanquam capite præcessit, illud in nobis, tanquam membris, suo tempore sequetur. *Agust. l. 2. de Trinit. cap. 17.* si modo à spirituali morte resuscitati vera fide in Ipso vitam queramus,

&amp;

& in vita novitate ambulemus. Sancta vita glorioſam præcedit,  
& glorioſa vita sanctam ſequitur.

## §. XCII.

Christus post paſſionem mortific. & vivificationem, pro-  
fectus Spiritibus in carcere prædicavit, ſuperatis itaque mortis ac  
inferni doloribus, verè ac realiter ad inferos ſive damnatorum  
fedem, tanquam victor, triumphator, cœli terræque Dominus,  
captivam ducens captivitatē, & de Diabolo, inferno ac reli-  
quias hostibus glorioſe triumphans, descendit. Mortuus eram,  
& ecce ſum vivus in ſecula ſeculorum, & habeo claves mortis &  
inferni Apoc. I. 18. Quemadmodum Mors, quā Christus nos  
a morte redemit, fuit vera ac realis mors: Ita quoque dēcenſus,  
quonos ex inferni manu liberavit, fuit verus ac realis dēcenſus.  
Injuria Domini noſtra gloria eſt. Ille mortuus eſt ut nos vive-  
remus. Descendit ad inferos ut nos ascenderemus ad cœlos.  
*Hieron. in Cap. III. Gal.* Christus mortem uſque ad infernum  
persequitur, glorioſius captivandam in regno ſuo, & magnifi-  
centius in ſedibus ſuis triumphandam. Ad dēcenſum cœleſtis  
Domini profundum inferi panditur, peregrinum ſibi lumen in-  
ferri nox aeterna miratur *Ang. ſerm. 156. de temp.* Cū autem  
Christus glorioſo dēcenſu ſuo nos ex inferno liberarit ac eruerit,  
vivamus ita, ne noſmet ipſos denuò in hunc detrudamus, verū  
potius ad illum in Coelum aſcendamus, canentes in perpetuum,  
ſicut & jam: Sedenu throno & Occido Agno, benedictio, honor,  
gloria & potestas in ſecula ſeculorum. Amen.

*Additamentum.*

1. Legatur Scriptura, non ſolum ut teneatur, ſed & vita  
exprimatur. Bernhardus.
2. Ut Deus eſt erga pios indulgentiſſimus Pater, ita ad-  
versus impios reſtiſſimus Jūdex. Lactantius.
3. Licuit loquendi ac diſputandi neceſſitate tres Personas  
dicere, non quia Scriptura dicit, ſed quia Scriptura non contra-  
dicit. Augustinus.
4. Operæ preciūm eſt agnoscere, Deum omnia præſcire,  
non autem omnia prædefinire atque prædeſtinare. Damascenus.
5. Quis Catholicus Christianus ignorat, nullum novum  
G Diabo-

Diabolum ex bonis Angelis ulterius futurum, sicut nec istum in societatem bonorum Angelorum redditum. Augustinus.

6. Datum est Adamo posse peccare, non ut perinde peccaret, sed ut gloriose appareret, si non peccaret, cum peccare posset. Bernhardus.

7. Deum offendisse quam puniri gravius est. Chrysostomus.

8. Brevisima & apertissima duorum Testamentorum differentia, timor & amor. Augustinus.

9. Christus semetipsum exinanivit, non formam Dei amittens, sed formam servi suscipiens. Beda.

10. Non habent hereditatem Petri, qui fidem Petri non habent. Ambrosius.

11. Efficacius est vita quam linguae testimonium. Cyprianus.

12. Factum est non sine providentia Dei, quidam uerent regnis praediti, quidam regnibus subditi. Augustinus.

13. Connubium non est ex colluvione peccati, sed ex institutione Dei. Fulgentius.

14. Felix Sacramentum aquae nostrae, quia ablutis delicitis in vitam aeternam liberamur. Tertullianus.

15. Sic Christophori erimus, cum Christi Corpus & Sanguinem in membra nostra recipimus, atque Divinae Naturae confortes efficimur. Cyrillus Hierosolym.

16. Una Fides justificat universorum temporum sanctos. Leo.

17. Vita Sancti Viri necessaria est, ut ejus vita exemplum praebeat aliis. Beda.

18. Ubi nulla emendatio, ibi nulla poenitentia. Tertullianus.

19. Deus praedestinavit ad Regnum, quos praecepit ad se misericordiae praevenientis auxilio perventuros, & in se subsequentis misericordiae auxilio mansuros. Fulgentius.


20. Novissima sunt quatuor: Mors, judicium, gehenna, gloria. Quid horribilis morte? quid terribilis judicio? quid intolerabilis gehennam? & quid jucundius gloriam? Bernhardus.

F I N I S.









ræpta fuerunt, denuò sibi vendicarunt, ita  
pastoribus, sine authoritate & consensu Ma-  
nquam, ut loquuntur, copulare. Liberum  
t relinquitur, vel à solo Magistratu, vel à  
sente Magistratu & potestatem dante, co-

que summus Scopus Magistratus est, non se-  
us Ecclesiasticis, sed res ad fidem spectantes  
arbitrio cuiuscumque committere: ideò in sa-  
piunt quicquam neque prohibent, sed solum  
ciplinam tuentur, ne quis blasphemias &  
iblicè exerceat, aut Remp. perturbet. Qui-  
Jesum Christum secundùm Scripturas pro-  
absque scandalo pacificè se gerunt, illi  
nibus discrepent, ac errores suos habeant,  
tur, & ut se mutuò quoque tolerent, ad-

imis conantur Presbyteranos & Independentes  
cem & tolerantiam adducere, eo præcipue  
uòd cum utriusque Orthodoxam fidem profiteantur,  
tropter solum diversum Ecclesiæ regimen collidi.  
formatas trans mare Ecclesias ad eandem for-  
t quasdam adductius, remissius alias regi. Ne-  
t pacembrevi coitaram, utrisque multum  
vore & obstinacia quotidie remittentibus,  
que erroribus suis, ad modestiam pronis.

De

